DE NOSOGRAPHIA FEBRIUM;

DISSERTATIO ANALYTICA,

Quam, pro Doctoratûs Medicinæ gradu adipiscendo, in celeberrimâ Scholâ medicâ Parisinâ, die 18 mensis Messidori, anno Reipublicæ duodecimo, tueri et elucidare conabitur

P.-M. CHRÉTIEN, Parisinus, M. D.

Opinionum commenta delet dies, naturæ verò judicia confirmat.

CICERO, *de Naturâ Deorum.*

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Scholæ Medicæ Parisiensis.

ANNO XII. (1804.)

DOCTOR PRÆSES,

D. HALLÉ.

DOCTORES DISPUTATURI,

DD. DESGENETTES.

DUMÉRIL.

DE JUSSIEU.

BAUDELOCQUE.

BOURDIER.

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Gymnasii Professores opiniones in dissertationibus Gymnasio exhibitis emissas, auctoribus proprias habendas esse, et illas a se nec approbari nec improbari statuerunt.

PHILIPPO PINEL,

IN SCHOLA PARISINA PROFESSORI MEDICO, etc.

VOVET, DICAT AC CONSECRAT,

P. M. CHRÉTIEN.

DISSERTATIO ANALYTICA,

DE NOSOGRAPHIA FEBRIUM.

FEBRES, morborum frequentissimi, omni ævo, ubique terrarum observatæ, distinctæ à phlegmasiis affectione generali absque læsione organicâ, cum excessu vel defectu, vel ataxiâ virium, aperto vel insidioso cursu, eoque continuo vel periodico, regulari vel inordinato, simplices vel compositæ, sporadicè, endemicè, epidemicè, grassantur.

Aliæ alias afficiunt partes indè earum nomina nova.

Omnes circulationi, respirationi, digestioni nocent, somnum lædunt, secretiones excretionesque præpediunt, augent vel minuunt, perturbant vel suspendunt sensuûm energiam, motum muscularem religant. Sex ordinibus circumscribuntur qui sua utique genera, suas species habent, classimque absolvunt.

In iis inquirendis valet potissimùm methodus analytica quâ scilicet à simplicioribus ad composita, à peculiaribus ad generaliora assurgitur; quâ rejectis quibuslibet accessoriis varietatum aut complicationum, assumuntur ea quæ sunt essentialia, perpetuò ac uniformiter observata.

Absint ergò inanes ac superfluæ disputationes de causis ignotis ac proximis morborum, de mechanismo interiori functionum organicarum, de actione reciprocâ fluidorum ac solidorum.

Non repetantur primariæ distinctiones febrium à typo, à tempestatibus anni, ab exanthematibus, exulent eæ quæ petuntur ab humoribus et absonæ plerùmque earum denominationes.

Absit etiam consideratio simultanea febrium et phlegmasiarum.

Quæ omnes theorias falsas inducunt, multiplicant morbos, obscurant scientiam et ab analysis ac naturæ scopo deflectunt.

Valeat ea sola coordinatio febrium quæ fundatur in observationum expositione, collectione, collatione, abstractione, ex quibus speciei tùm simplicis tùm compositæ, generis, ordinis, classis idea coalescat et enascatur.

Atqui talis est celebratissima in Scholis nostris professoris *Pinel* distributio methodica febrium in sex ordines, quibus assignat nomina, quæ, quantùm licet in affectione generali, partes tamen peculiariùs affectas ostendunt. Quod probandum incumbit.

ORDO I.us Angiotenicarum febrium.

(*Affectio peculiaris systematis vasculosi sanguinei.*)

In iis est oppressio virium.

Propositio. Datur febris angiotenica continua cujus species duæ.

Observatio I. Abderæ Periclem morbus corripuit acutus, continuus cum dolore, etc. (*Hippoc., Epid., lib.* 3, *sect.* 3, *ægr.* 6.)

Obs. II. Hadrianus circà solstitium hyemale ex levi peregrinatione cùm in exiguam lassitudinem incidisset, ephemerâ febre correptus est. Sudor levis indè emanavit, suavis calor in toto corpore sentiebatur. Post viginti quatuor horas à febre liberatus deindè valuit. (*Forestus, obs.* 1, *lib.* 1, *de Febrib.*)

Obs. III. Degebat hìc juvenis litterarum studiosus, 24 annorum, sanguineus, succi plenus, vultu floridus, qui hæmorrhagiis narium antehàc obnoxius et posteà venæ sectioni assuetus, utramque verò evacuationem ab anno non erat expertus. Hic verno tempore in palestrâ gladiatoriâ vehementer incaluerat et posteà in cellam concesserat vinum potaturus. Postridiè lassitudinem sensit in corpore toto quam excepit extremorum levior refrigeratio, æstus verò inten-

sus, pulsus celer, præcordiorum anxietas, angustia spirandi et pectoris oppressio.

3.° die. Temporum arteriæ validè pulsarunt, caput intumuit, doluit, oculi protuberarunt, nox insomnis fuit, delirare cæpit. *Huic vena secta, fronti imposita epithemata, potus nitrosi, refrigerantes præscripti.* Sensìm conquieverunt symptomata.

7°. die. Sudor largus prodiit ægerque posteà ad sanitatem rediit. (*Hoffmannus Fred. de Acutâ febre sanguineâ.*)

Obs. IV. Puella 20 annorum quæ catameniorum suppressione à quinque mensibus laborabat, ex cursu incaluit et subitò refrixit. Corripuit eam horripilatio, exindè calor intensus, facies ei colorata.

2.° die. Coloratior erat facies, aderat oppressio thoracis, faucium dolor deglutitioque impedita anginam minitabantur.

Saphenæ sectione remissa omnia.

4.° die. Sudavit multùm, sanata est. (Ex privatis clinicis.)

Hisce historiis describuntur febres duæ, *ephemera* et *synochus.*

PRIMA SPECIES.

Ephemera sic dicitur quia intrà nyctemeron vulgò terminatur.

Tertiam diem non excurrit. Solvitur sudore.

SECUNDA SPECIES

Synochus dicitur ephemera ultrà tres dies protracta. Terminatur sudore, præeunte hemorragiâ narium, uteri, 4.°, 7.°, 14.° die.

Hujus dispositiones et causæ eædem ac ephemeræ sed graviores, symptomata eadem sed intensiora, eorum decursus productior.

Igitur, utriusque caracteres, semotis varietatibus, delineare juvat.

Prædispositiones : constitutio succi plena, sanguinea, plethorica, juvenilis ætas, hyems sicca, ver primum, loca borealia, editiora; post vitam exercitatam otium cum diætâ alkoolisatâ, gravi-

ditas, menstruatio vel prima vel impedita, evacuationes sanguineæ consuetæ suppressæ.

Hæc ubique omni ævo nota, sensibus obvia, suo multiformi concursu disponunt ad febres prædictas, eas præsagiunt, iisque jàm ortis varios intensitatis gradus conferunt.

Causæ occasionales : perfrigeratio calefacto corpore, insolatio, labor intensus corporis animique, repentinæ aëris mutationes, potatio alkoolisatorum, medicamenta acria, æstus irarum, dolor à vulnere, fracturâ, luxatione.

Symptomata: plerùmque corripit utraque absque prodromis, horripilatione, mox adest calor halituosus, coloratur facies, pulsus evolvitur ac increbrescit. Decurrit morbus uno tenore, ferè nullus occurrit paroxysmus, solutio fit 4.°, 7.°, 14.° die sudore largo, copioso, universali, præeunte hæmorrhagiâ narium, uteri, etc.

Varietates : has autem febres præeunt quandòque dolor capitis vagus; vertigo, tinnitus aurium, visûs hebetudo aut scintillatio, somnus exagitatus aut comatosus, caloris raptus ad caput, difficultas motuûm, lassitudines spontaneæ, stupor, anxietas præcordiorum, propensio ad sudores. Hæc autem omnia distributìm vel conjunctìm sumpta considerari debent ut varietates ac abstrahi non secùs ac simplicitas vel combinatio cansarum, modus solutionis, durationis tempus, symptomata gastrica intercurrentia, aut signa ex urinis, hæmorrhagiæ, insomnium, cephalalgia, delirium, raptus ad caput vel ad thoracem.

Caracteres communes specierum constituunt genus.

Genus.

Ergò constat genus dispositione peculiari causisque excitantibus suprà memoratis, calore halituoso, solutione sudoribus, paroxysmo ferè nullo, haud interrupto tenore.

Caracter ordinis idem est cùm genus unicum sit.

Ordo.

Ergò iste ordo continet febres continuas quæ corripiunt juvenes, sanguineos, exercitatos, hæmorrhagiis assuetos; producuntur à genere quolibet excitantium physico aut morali; notantur turgenti coloratâque facie, exhalatione cutis continuâ, pulsûs evolutione, paroxismo ferè nullo; solvuntur sudore largo, universali; hæmorrhagiâ narium, uteri, etc. præeunte, versùs 1.um, 2.um, 3.um septennarium.

Corollarium. Ergò si attendatur ad prodroma, dispositiones, causas, seriemque symptomatum, liquet præter distensionem aut plenitudinis aut copiæ super affluentis sanguinis adesse excitationem viribus tonicis systematis vasculosi primitùs inductam. Ergò causa hujus febris proxima videtur esse nimia excitatio vasorum sanguiferorum. Indè nomen angiotenicæ febris.

Ergò datur febris angiotenica. Aliundè unicum genus, duplex species.

Ergò datur febris angiotenica continua duplici specie, unico genere, constans.

His probatis, ad prognosim deveniamus, dein ad curandi methodum.

Prognosis. Causæ leves, symptomata mitia, corpus anteà sanum, optatam solutionem præsaguint. Contraria autem periculum inducunt. Interdùm adeò gravia sunt symptomata ut metuenda sit inflammatio visceris cujusdam, seu thoracis seu capitis. Nisus aut raptus ad caput notatur obscuratione visûs, scintillatione oculorum, pulsu duro, pleno, pervigiliis, somniis territantibus, anxietatibus, vertiginibus, vultûs turgentiâ, statu quodam erysipelaceo phrenitidem minitante.

Si molimen fiat versùs thoracem, sensus in eo subest ardoris, anxia fit respiratio, superveniunt suffocatio, dolores erratici, sudores, urget anginæ periculum aut peripneumoniæ.

Atverò nihil est formidandum quoties naturæ conatuum non perturbatur harmonia regularisque concentus, fitque optata solutio sudoribus, ut diximus, præeunte quandòque hemorragiâ narium, uteri, etc.

Curatio. Experientiâ constat febres angiotenicas penès esse dominium medicinæ expectantis easque solvi naturæ beneficio. Itaque si moderatus sit morbus, recurrendum est duntaxat ad potus diluentes, acidulatos, nitrosos. Si sæviant symptomata, semel aut iterùm sanguis mittendus, epithemata, emulsa, clysmata, pediluvia usurpanda, cucurbitulæ etiam adhibendæ pro re natâ.

Diæta consimilis esse debet, tenuis ex cremoribus orizæ, avenæ, hordei, fructibus horæis. Potus calidi, largi, alkoolisati, tincturæ, essentiæ, varietas et multitudo remediorum, regimen æstuosum ratione lecti et conclavis summoperè vitanda; vitandi etiam sedulô omnes animi affectus, ira præprimìs ac terror.

Quæstio. An angiotenica febris remittens?

An intermittens?

An epidemica diathesis angiotenica?

An et quænam angiotenicæ febris complicationes?

Ordo II. Meningogastricarum febrium.

(Specialis irritatio ventriculi, duodeni viciniorumque.)

In iis est fractura virium.

Propositio. Dantur febres meningogastricæ continuæ, remittentes, intermittentes.

1.° Datur febris meningogastrica continua quæ dividitur in tres species: congestionem gastricam, febrem gastricam continuam, et synocam gastricam.

PRIMA SPECIES.

Congestio gastrica.

Occurrunt in praxi congestiones gastricæ cum vel absque pyrexiâ quæ præcedunt aut concomitantur febres meningogastricas imò et alios morbos aut per eorum decursum intercurrunt; interdùm simplices ac solitariæ incedunt.

Distinguntur autem in tres varietates, onerationem ventriculi, onerationem intestinorum, choleram morbum. Quæ clariùs ut pateant, singulari illustremus exemplo.

1.ª *Varietas.* Oneratio ventriculi.

Obs. Puella undecim annorum cùm toto mane pedibus aquâ immersis laborasset, exacto prandio, evomuit ingesta, incaluit, sudavit nocte totâ.

2.° die. Oris amaritudo, lingua mucosa notabantur, post meridiem horrores erraticos calor sequebatur.

3.° Dolor levis epigastricus, horrores vagi intermixti calore per diem.

4°. Ab emesi vomitus porracei.

5.° Remissa omnia. A febre liberata, revaluit. (Ex Clin. priv.)

2.ª *Varietas.* Oneratio intestinorum.

Obs. G. R. viginti annos habens, studiosus et ægrotantium curationi incumbens impensissimè, cùm ab iis visendis quodam die redux copiosissimè manducasset derepentè correptus est lassitudinibus spontaneis, doloribus artuum præprimìs articulorum et lumborum, pulsus erat febrilis, calor increscebat, accesserunt dolores abdominis, diarrhæa.

Vespere exacerbata omnia. Insuper cephalalgia, amarities oris, dolor epigastricus, nox insomnis fuit.

2.° die. Remissa symptomata, sed sudor copiosus, tormina ventris. Vesperè anorexia, nausea, dejectiones alvi frequentissimæ (paroxysmus) dormiit.

3.° die. A tartrito acidulo potassæ vomitus iterati, æruginosi, porracei. Vespere remissa omnia.

4°. A laxante alvus dejecit olidissima, copiosissima, exindè debilitatus fuit; vespere autem ex toto liberatus est. (Ex Nosogr. t. 1.)

3.a *Varietas.* Cholera morbus.

Obs. Mulier 65 annorum, cùm quotidianâ deambulatione defatigaretur, nocte quâdam torminibus ventris expergefacta frequentissimè dejecit ex alvo, evomuit nigra, porracea, cum anxietatibus membrorumque jectigatione. Quartâ pomeridianâ horâ, desierant vomitus, anxietates, dolorque abdominis, aderant pulsus debiles, pallida facies, nocte dormiit.

2.° die. Semel alvus dejecit. Doloris intensitas pluries recurrens borborigmis, eructationibus (ανῲ et κατῲ) terminabatur.

3.° Sitiebat ægra, lingua muco obtegebatur, dolor abdominis et tensio remittebant, pulsus erant debiles, tardi. A laxante alvus dejecit. Somnus rediit et sanitas. (Obs. propria relata in Medic. clin.)

Ergò ex his et aliis *Hoffmanni*, *Pinel*, etc. colligitur.

Congestionis ventriculi, symptomata esse,

Cephalalgiam, epigastralgiam, anorexiam, oris amaritiem, linguam mucosam, flavidam, madidam. Quorum duo quandòque sufficiunt.

Congestionis intestinalis, signa esse,

Lassitudines spontaneas, ructus, flatus, borborigmos, abdominis tensionem, dolores vagos articulorum inferiorum, maximè genuum.

Choleræ morbi, signa esse,

Vomitus et dejectiones alvi frequentes cum nisu, anxietate, dolore tùm epigastrico tùm abdominali; pulsus parvos, debiles, concentratos, citam demùm prostrationem ab evacuationibus colliquativis.

Hæc autem omnia constituunt primam meningogastricæ continuæ speciem quæ latiori sensu dicitur congestio gastrica.

Cujus dispositiones sunt : mansio in nosocomiis, carceribus, na-

vibus, vita otiosa, victus insalubris, sensilitas moralis, debilitatis status. Nulli ætati, constitutioni parcit. Infestat omni tempore, etc.

Causæ occasionales : impressio continua aëris calidi, nimiæ comestiones, potationes, exercitationes, studia intensa, animi pathemata tristia, iræ impetus.

Ergò datur 1.ª species. Congestio gastrica.

SECUNDA SPECIES.

Febris meningogastrica continua simplex.

Obs. I. Mulier 35 annorum prodroma hujus morbi jàm experta, irâque concitata corripitur rigore dorsi cum tremore, sequitur calor intensus, dein cephalalgia frontalis, symptomataque gastrica.

3.° die. Biliosa fluxerunt ex alvo.

7.° die. Ex toto liberata fuit â febre.

Exacerbatio notabatur diebus singulis. (Ex Priv. clin.)

Obs. II. Mulier 60 annorum incertæ jàm valetudinis, à pluribus diebus perpessa anorexiam, cephalalgiam, dolores vagos artuum, calefacto corpore cùm potasset aquam frigidam corripitur rigore intenso dorsi cum tremore per sesqui horam ; sequitur calor acer, adsunt et epigastralgia, cephalalgia, polydipsia, colorata valdè facies, pulsus evolutus.

2.° die. Paroxysmus mane et vespere. Indumentum linguæ flavidum, siccum.

3.° Anxietas epigastrica, stricta alvus. Ab emesi vomitus, alvi dejectiones.

5.° Et seqq. Paroxismi iidem et alvus stricta.

15.° Solutio morbi dejectionibus alvinis. (Ex Priv. clin.)

Ex iis et aliis *Foresti*, lib. 2, Nosogr., t. 1, et Medic. clin. desumuntur caracteres mening. continuæ simplicis, assumendo videlicet ea quæ in omnibus communia deprehenduntur.

Dispositiones, *causæ* : Eædem ac præcedentis.

Imò congestio ipsa gastrica tùm ventriculi tùm intestinorum, pe-

culiariùs ac proximiùs ad continuam gastricam disponit, vique propriâ ac intensitate in eam convertitur absque causâ occasionali ullâ. Utì constat ex Epid. Lausanensi et Techlemburgensi.

Cholera autem morbus gastricæ continuæ dispositio non censetur, cùm vomitus et dejectiones onerationem solvant morbumque judicent, adeòque febris quominùs evolvatur impediant.

Symptomata : corripit tremulâ concussione dorsi quam excipit calor acer et mordicans; adsunt et cephalalgia frontalis, amaritudo oris, mucosa flavidaque lingua, tensio epigastrica, unus vel duo paroxysmi per diem.

Benè curata solvitur 1.°, 2.°, 3.° septennario, vomitu, dejectionibus alvinis pultaceis, urinis subrubris, sedimentosis, sudoribus, interdùm hæmorrhagiâ narium, sputo mucoso.

Ergò datur 2.ª Meningogastrica continua simplex.

TERTIA SPECIES.

Synoca gastrica.

Obs. I. Larissæ virginem corripuit febris ardens, acuta. Insomnis, siticulosa, lingua fuliginosa, arida, urinæ tenues.

3.° Multa fluxerunt ab alvo biliosa.

6.° Sanguis ex naribus copiosus et multus effluxit. Horrore correpta est et sudore copioso calido perfusa per totum corpus à febre liberata est et judicata. Muliebria tunc primùm fluxerunt. (*Hippoc.* 3, Epid. ægr. xij.)

Licet morbus ille symptomata, decursum, solutionem febris angiotenicæ exhibeat, stipatur nigrâ fuliginosâque linguâ, dejectionibus biliosis, ergò adest complicatio utriusque morbi.

Obs. II. Fœmina honesta aliquot suprà triginta annos nata. Corpore robusta, biliosa et animo impatiens, plùs inter cibos vini quàm cerevisiæ bibens, incidit in febrem ardentem exquisitam. Medicus

ordinarius præbuit bezoardicam tincturam aliquoties intrà aliquot horas. Indè pathematha exacerbata, anxietas scilicet, inquietudo, æstus, vigilia, loquacitas nimia cum alvi stricturâ. Accesserunt etiam tormina in ventre et deglutitio facta admodùm difficilis.

Die 4.° Sanguis quidem ex utero fluxit, symptomata tamen non remiserunt, accessit leve delirium.

Semper autem major mane quàm vespere symptomatum fuit vehementia.

7.° die. Præcedente horrore et rigore animam agere videbatur sub mente emotâ et respiratione citâ, anhelosâ. Elapsis tamen horis aliquot, ad se rediit, corpus sudore diffluere cæpit et in cute præsertìm dorsi apparuerunt maculæ rubræ quas petechias esse crediderunt.

Circà 14.um diem remiserunt symptomata et ad statum naturalem visa redire omnia. (*Hoff.*, obs. 6, de Feb. ard.)

In eâ observatione notatur major mane quàm vespere symptomatum vehementia per totum morbi decursum, atqui id peculiare meningogastricæ febri, cætera propria sunt angiotenicæ, ergò datur complicatio utriusque. Similia refert idem eodem tractatu. Similia *Forestus*, observationibus xx, xxj, xxij. Similia *Pinel*, in Medic. clin.

Ergò constat caracterem febris iis observationibus descriptæ coalescere ex caracteribus gastricis simul ac angiotenicis. Videlicet,

Prædispositiones et causæ mixtæ : temperamentum bilioso sanguineum, tempestas calida, sicca. Exæstuatio impensior corporis animique, potus alkoolisatorum liberalior, æstus irarum, molimen primæ menstruationis, etc.

Symptomata mixta : calor urens et halituosus; dolor aut sensilitas epigastrii; linguæ indumentum mucosum siccum; vespere aut mane exacerbatio, in decursu vel sub finem hæmorrhagia narium aut uteri, etc. Solvitur sudore 5.°, 7.°, 14.° die.

Atqui talis est synoca biliosa quam exposuimus, quam agnoscit et describit Frid. *Hoffmannus*, quam admittit *Pinel* et mutato nomine angiotenicam gastricam salutat.

Ergò datur tertia species angiotenica gastrica.

Q. An distincta ea species à causo veterum?

Nunc autem abstractione coadunantur symptomata tribus speciebus communia, undè exurgit genus meningo gastricæ continuæ.

Genus.

Dolor epigastricus, indumentum linguæ albidum aut flavidum, cephalalgia frontalis, unus vel duo paroxismi per diem.

2.° Datur febris meningo gastrica remittens.

Obs. Mulier 52 annorum corripitur symptomatibus gastricis, inappetentiâ, oris amaritudine, dolore epigastrico et per sex dies horroribus tremulis ac irregularibus, octo per et novem dies, præter febrem uno tenore decurrentem. Horrores determinatè recurrebant horâ meridianâ.

10.° Symptomata gastrica intendebantur. *Emesis prescripta fuit.* Horror rediit primâ pomeridianâ, decursus idem ad usque 15.um eo 15.° die ad usque 20.um accessio secundâ pomeridianâ recurrrebat.

20.° Horâ primâ rediit. Eodem tenore decurrit febris sed cum accessione irregulari, paroxismo scilicet à meridie ad primam pomeridianam recurrente per tres dies. Ab eo tempore meliùs habuit. Remiserunt paroxismi ad 41.um usque diem.

42.° Nullus adfuit paroxismus. (Ex Priv. clin.)

Supervacaneum foret in medium proferre plures historias, cumulantur in Nosogr. phil. et in Médic. clin.

Ergò, ut compertum manet, febris gastrica remittens est febris gastrica continua cum accessionibus febris intermittentis primò irregularibus, deìn utroque caloris et frigoris stadio insignitis, postremò sub finem morbi in paroxismos abeuntibus, id est absque frigore.

In eâ notantur lingua mucosa, sicca, flavida, os amarum, nauseæ ac vomitus protracti interdùm per majorem morbi decursum.

Solvitur quandòque versùs 2.um septennarium sudore copioso, iterato, urinis sedimentosis; sed plerùmque durat 40 diebus.

Dispositiones. Ætas senilis ut plurimùm declinante æstate, accedente autumno; raro ætas adulta, rarissimè pueritia.

Causæ occasionales. Mæror, ira, pavor, potatio frigida corpore æstuante, aer insalubris, paludosus humidusque, victus crassior, et aliæ suprà memoratæ. Ergò datur febris gastrica remittens.

Q. An differat à remittentibus auctorum?

An eadem sit individua?

An adsit remittens angiotenica gastrica?

Genus.

Symptomata eadem ac febris continuæ gastricæ cum accessionibus frigoris et caloris sub finem morbi in paroxismos abeuntibus.

3.° Datur febris intermittens quæ alternis diebus invadit et dicitur tertiana gastrica. Nulla febris tàm nota, tàm frequens, nulli ætati, sexui, temperamento parcit, nulla tamen cujus historiæ ab auctoribus adeò neglectæ fuerint. Unicum sed illud præstantissimum extat hujus exemplum apud celeb. *Stalh.*

Obs. Juvenis notabiliter plethoricus annorum 22, habitûs corporis cholerico sanguinei diætæ haud admodùm exactæ, satis vorax, neque minùs frequentioribus compotationibus addictus, cùm hujusmodi diætæ erroribus per anni initia crebriûs vacasset, maïo verò mense, tempestate pluviosâ gelidâ, tenuiori uteretur amictu, sæpiùs quidem horridulo sensu percelli cæpit et sub indè languore et lassitudine affici, quod tamen non æquè cordi habuit. Vespere autem aliqua de carne fumo induratâ intemperantiùs ingerens et cerevisiam largiter superbibens sentit mox gravitatem et pressionem ventriculi cum fastidio et nauseâ ad vomitum tamen non pertingente, cui quidem occursurus haustum spiritûs vini superbibit et cubitum it. Dormit minùs quietè accedente dolore sensibili capitis.

Manè grave est caput et lassitudo aucta. Surgit de lecto sed mox corripitur vertiginosâ capitis gravitate et nauseâ.

3

Versùs nonam antè meridiem incipit facies ejus deteriori aspectu corripi, et concutiunt patientem, licet primò admodùm leviter, horrores volatici à lumbis antrorsùm versùs scrobiculum cordis et sursùm versùs scapulas excursantes, ingravescunt hi horrores magis magisque ità ut etiam totum corpus pergifrescat et ungues digitorum quasi compressi eximiè subtùs pallere, versùs verò radices livere incipiant. Succedit major horror, increbrescit sub his nausea unà cum capitis non modò dolore sed etiam frequenti intercursante vertigine. Cooritur denique vomitus, primò quidem vacuus sed tantò magis augens et veluti strangulans patientem. Repetitis tamen concussionibus sequitur copiosa mucago. Frigori huic remittenti succedit immediatè quidem totius corporis flaccidus languor cùm sub horrore potiùs manifestæ tensiones spasmodicæ afflixissent. Huic languori succedit mox pulsus increbrescens et celer, facies incipit denuò rubescere, turgescere, capitis dolor fit intensior, incalescit totum corpus, sitit, afficitur inquietudine. Hæc omnia continuant usque ad septimam vel octavam vespertinam, ubi sensìm remittit æstus et noctu ad naturalem vertitur temperiem superstite solùm insigni lassitudine. (Ex collegio casuali.)

Porrò eam febrem gastricam esse facilè demonstratur.

Corripit enim corpora biliosa in ætate consistente plusquàm in infantili aut senili, regnante æstate nimìs fervidâ; præsertìm post defatigationem, epulas, potationes frigidas sudante corpore, iræ impetum et alia id genus de quibus suprà.

Invadit accessio de die cum horrore, solvitur sudore, prægresso tamen calore urente, insignitur symptomatibus gastricis, nauseâ, vomitu, cephalalgiâ et aliis.

Ergò in distributione nostrâ apprimè inter meningogastricas annumeratur.

Decursus morbi. Accessionum tria stadia : frigoris, caloris, sudoris. Recurrunt alternis diebus, vel quotidiè, interdùm quoque bis uno die vacuo, ità ut alternis diebus sibi respondeant; indè simplex et duplex tertiana. Incipiunt perfrigerio extremitatum, frigore à

lumbis assurgente vel inter scapulas cum concussione tremulâ trunci et membrorum, pulsu debili, parvo, nauseâ, vomitu, etc. Sequitur calor acer, siccus, æqualiter per totum diffusus cum siti intensâ; pulsus in pleniorem et fortiorem mutatur; rubescunt nares, vultus, demùm sudore febris terminatur; evanescunt symptomata ut plurimùm remanente lassitudine.

Regularis dein est vel irregularis. Illa typum servat æqualem tàm ratione temporum invasionis quàm solutionis, longitudinis ac brevitatis paroxismi et suetis incedit symptomatibus. In hâc tempus accessionis incertum, paroxismus nunc brevior, nunc longior, cætera inordinata.

Nonnunquàm variam larvam induit et ophtalmiam, cephalalgiam, vomitum, choleram, apoplexiam, pleuritidem, arthritidis aut hysterici morbi insultum ementitur. Harum mutationum causæ adhucdùm ignorantur; à dispositione subjecti forsàn eæ pendent anomaliæ.

Plerùmque sunt tertianæ omnes epidemicæ et ex insolitâ temporum tempestatumque, æstate imprimìs, constitutione proficiscuntur.

Endemicæ propriæ sunt locis depressis, infestis, paludosis.

Ergò datur febris tertiana gastrica simplex vel duplex, regularis vel irregularis, larvata, epidemica, endemica, sporadica, indè genus.

Genus.

Febres periodicæ singulis aut alternis diebus redeuntes, invadentes cum sensu frigoris inter scapulas necnon tremore, schemata variorum morborum quandòque induentes et unam aut plures internas vel externas partes afficientes.

Q. An triplex admittenda tertianæ febris varietas, gastrica, angiotenica, atonica ?

Caracter ordinis ex associatione idearum coalescit.

Ordo.

Ergò iste ordo continet febres typi triplicis continuas, remittentes, intermittentes. In omnibus his : cephalalgia, lingua mucosa, sicca, flavescens ; horripilationes cum tremore ; calor acer et urens, nauseæ ac vomitus, anorexia, amaritudo oris, sitis incompescibilis ; pulsus fortis, durus, frequens ; unus vel duo paroxismi, vel accessus integri singulis aut alternis diebus ; dolor epigastricus annotantur. Nulli ætati, constitutioni parcunt, infestant maximè propè paludes, post calorem æstivum, potationem frigidam corpore exæstuante, nimiam exercitationem corporis animique, abnorme regimen, irarum æstus præprimis antè vel post epulas, etc. Grassantur sporadicè, endemicè, epidemicè, consociantur aliis febribus nec non phlegmasiis. Solvuntur vomitu, dejectionibus alvinis, urinis sedimentosis, sudoribus nidorosis, hemorragiâ quandòque 4.°, 7.°, 14.°, 42°. die. Tertiana indeterminato tempore.

Corollarium. Ergò si attendatur ad observationem experientiamque quibus constat febres hujus ordinis aut esse aut fieri rebelliores quoties accedunt evacuationes aut spontaneæ aut provocatæ, nec eas posse in suo decursu impediri aut sisti, ab ullo quovis evacuante ; ab omni independenter evacuatione suo præfinito tempore, solvi ac terminari ; si attendatur ad actionem localem id est irritationem primitùs inductam membranis ventriculi, duodeni, viciniorumque, à causis prædisponentibus et occasionalibus ; si demùm attendatur ad essentialia symptomata quæ exaltatam organorum prædictorum sensilitatem ostendunt ; nonne liquet earum febrium sedem collocandam esse in partibus internis regioni epigastricæ subjacentibus, earum causam proximam esse harum partium irritationem ; minimè verò polycholiam absorptam, retentam, turgescentem, mobilem, hinc et indè excursantem, intrà extrà evagantem, indè nomen meningogastricarum febrium.

Ergò dantur febres meningogastricæ, aliundè continuæ, remittentes.

Ergò dantur febres continuæ, remittentes, intermittentes meningogastricæ.

Prognosis. Minimè funesta si simplex febris, benè tractata, curata. Recto enim tramite absolvit decursum suum et sanatur. Non unico eodemque naturæ nisu solvitur sed repetito solâque interdùm symptomatum imminutione solutio innotescit. È contrà si tempestate, errore regiminis, habitatione paludosâ, etc., accedat prædispositio ad aliam febrem aut si medicatio præpostera adhibita fuerit utì constat ex obs. *Hoffmanni*, tunc primitiva febris complicata cum aliâ deteriori febre aut phlegmasiâ non servat benignitatis indolem et ex combinatione novâ exurgit morbus periculosior.

Curatio. In congestione stomacali, emesis.

In oneratione intestinali, alvina purgatio.

In cholerâ morbo, diluentia, nitrosa, acidulata.

In febre gastricâ continuâ et remittenti; initio emesis si symptomata gastrica urgeant, sanguinis missio si molimen fiat ad caput vel ad thoracem, acidulata, diluentia, emulsa, lotiones manuum et pediluvia, epithemata fronti ex aquâ et aceto, renovatus ac refrigeratus aer. Eadem positis ponendis, pro synocá gastricâ, remittente angiotenicâ. In medio morbi, laxantes, emetici potus diluentibus intermixti, si permaneant symptomata gastrica.

Decrescente morbo, aqua vinosa, juscula pauxillùm pinguia, aqua hordei acidulata, serum lactis, cerevisia cum aquâ.

Postremò vinum absinthii, kinakina, (pulvere extractove), potionibus tonicis, amaris, extracto juniperi, aromati cuilibet, sociatum, opio si adsit nausea aut diarrhæa. Kinakina vitetur in dolore colico, in anxietatibus, in colore faciei lurido splenis vel hepatis infarctum indicante.

Misceatur tartrito acidulo potassæ vel nitrato potassæ si constitutio sit validior, muriato ammoniacali si sit languidior, opio si sit irritabilior. Eadem observentur pro tertianis febribus nec usurpentur febrifuga nisi post septem aut octo accessus sive eæ febres genuinæ sint, sive larvatæ.

Ordo III. Adenomeningearum febrium.

(Irritatio membranæ mucosæ tubi alimentaris primitùs illata.)

In iis est languor virium.

Prop. Dantur febres adenomeningeæ continuæ, remittentes, intermittentes.

1.° Datur febris adenomeningea continua cujus tres species: simplex, verminosa, complicata.

PRIMA SPECIES.

Febris adenomeningea continua simplex.

Obs. I. Cleonactidem qui suprà heracleum decumbebat febris ardens corripuit incertâ periodo, etc. (*Hippoc.* Epid. 1, ægr. 1.)

Obs. II. Fœmina 40 annos nata diarrhæâ laborabat, comitatur febris vespertina cum ardore et incontinentiâ urinæ, nauseâ, siti, linguâ tenui muco albo tectâ, tumore circà malleolos, pulsu parvo parùm frequenti, mane. Ab emesi vomitus materiæ mucosæ, deìn post usum rhei cessavit diarrhæa.

Circà octavum diem. Vespertinæ horripilationes cum frigore febrili et intermixtis æstubus fugacibus, uberiori urinæ excretione, et insomniis anxiis per totam noctem protrahuntur.

Cum alvi segnitie postero die abdomen tumidum et durum fit, pedes ad crura usque intumescunt et partes oris internas tumentes aphtæ obsident. Aliis diebus paroxismi. (*Wagler.* Hist. 1.)

Obs. III. Mulier quadragenaria lymphatica corripitur lassitudine, anorexiâ, cephalalgiâ, inertiâ motuum, urodyniâ.

Mox cephalalgia fit intensior, accedunt lingua mucosa, dolor

abdominis circà regionem coli sinistram. Horrores volatici calore intermixti in perfrigerium primò pedum, deìn trunci, postremò totius abeuntes, pulsus rarus debilisque.

10°. Circiter die calor propemodùm naturalis, vespere autem et nocte calor, mador, dolor abdominis aucti, pulsus frequentior, somnolentia et symptomata quædam gastrica emesi sublata.

20.° Exacerbata omnia. Identidem horripilationes, sopor, dolor abdominis accedente nocte maximè increscentes. Lingua mucosa, flavescens, humectata tamen, calor intensior licet halituosus.

31.° die. Sopor nullus, pulsus fortior, lingua parùm humectata, urinæ copiosæ, faciles; interdùm meliùs interdùm pejùs habuit; interdùm sopor, interdùm dolor abdominis et artuum ac mador rediêre.

Postremò 50 die revaluit. (Ex Lect. publ.)

Nunc abstractione immoremur generalioribus: ergò hujus,

Prædispositiones : pueritia, senectus, fœmineus sexus; temperamentum lymphaticum, debile, venere, studiis, vigiliis, evacuationibus, morbo, medicamentis, mærore, terrore consueto, inediâ exhaustum; victus pinguis, farinosus, insalubris; habitatio in locis frigidis humidisque, vermes, atrophia, reconvalescentia, puerperium.

Causæ excitantes : causæ generales febrium, indigestio, potus frigidi ac refrigeratio sudante corpore, etc.

Symptomata : initio, lassitudines, horripilationes vagæ aut sensus frigoris absque tremore, nauseæ ac vomitus liquidi viscosi insipidi; lingua alba mucosa; frigus et calor alternatìm, abdominis sensilitas, dolor capitis, calor moderatus cum madore, motuûm tarditas, pulsus vix dùm febrilis, urodynia, exacerbationes circà noctem, sudores acidè olentes.

In decursu. Aucta symptomatum intensitas, dolores artuum contusivi, sopor, morositas, aphtæ; interdùm dysuria, stricta vel laxa alvus. Oris sensilitas, fætor; linguæ siccitas aut mador; pulsus debilis et lentus, paroxysmi per noctem porrecti.

Subfinem. Remissio symptomatum, elevatio pulsûs; solutio fit vomitu mucoso spontaneo seu provocato, aphtis, efflorescentiis, ulcerationibus in regione sacri, trochanteris, urinis cum sedimento levi lateritio, seu mucoso, sudoribus nocturnis subacidis, vel concursu aut serie evacuationum. Quandòque solutio funesta fit ulcere interno, scirrho, congestione mucosâ in pulmones, gangrenâ intestinorum.

Ergò datur 1.a species. Febris adenomeningea continua simplex.

SECUNDA SPECIES.

Febris adenomeningea verminosa.

Ratione affinitatum hìc revocantur febres verminosæ, quìn et propter inextricabilem symptomatum varietatem et propter observationum ambages, quibus eæ febres exponuntur, præsumi debet existentia vermium quoties anomalæ affectiones nervosæ adjunguntur causis prædisponentibus aut excitantibus ac symptomatibus febris mucosæ, nec subest dubitandi locus epidemiâ grassante, maximè si sub diverso schemate febris mucosa incesserit adfuerintque symptomata aliena prorsùs à morbo mucoso simplici.

Selle, Wagler, hujus describunt caracteres :

Prædispositiones : eædem ae superioris.

Causæ exc. : eædem ; verùm intensiores, diuturniores, epidemicè grassantes.

Symptomata : eadem : iisque accedunt affectiones mirum in modum variæ, à præsentiâ vermium productæ, quales: motus convulsivi, trismus, pupillæ dilatatio, dolores acres, dilaniantes, pedibus, suris, quandòque carpo aut genubus infixi, vel pleuritidem ementiti, ad summùm sævientes.

Ergò datur 2.a species. Febris adenomeningea continua verminosa.

TERTIA SPECIES.

Febris adenomeningea continua complicata.

An febris adenomeningea continua angiotenica ? *Wagler.*

An febris adenomeningea meningogastrica ? *Wagler*, *Plenciz*, *Stoll.*

Genus.

Pulsus propemodùm naturalis, calor per diem moderatus, per noctem exacerbatus, dolores artuûm contusivi, abdominis sensilitas, horripilationes intermixtæ, lingua mucosa, aphtæ, vomitus aut dejectiones fluidi insipidi viscosi, tardè decurrens morbus.

2.° Datur febris adenomeningea remittens simplex.

Obs. Fœmina patiebatur symptomata primæ periodi continuæ mucosæ, incertum prorsùs an foret febris continua an remittens.

Octavum circà diem recurrebat accessio integra quâvis die sub vesperas per primam et secundam periodum. Horripilationem sequebatur calor, urodynia et alia quæ in præcedenti. (Ex Lect. publ.)

Ergò datur febris adenomeningea continua cum accessibus febris intermittentis.

Eosdem et in iisdem circumstantiis corripit ac continua. Eâdem symptomatum serie decurrit, sed loco paroxismorum recurrunt accessiones integræ circà vesperas longiùs per noctem porrectæ cum calore, sæpiùs horripilationibus intermixto, declinante morbo in paroxismos caloris abeuntes.

Ergò datur febris remittens adenomeningea simplex.

Q. An hemitritæa veterum et remittens adenomeningea typo quotidiano simul ac tertiano coalescens, idem morbus ?

Genus.

Febris continua insignita calore madido, moderato, sopore, doloribus artuum contusivis, accessionibus duplici stadio frigoris et caloris constantibus cum typo tertiano aut quotidiano.

3.° Datur febris adenomeningea singulis diebus accedens et soluta quæ dicitur quotidiana, hujus duæ species : legitima, spuria.

PRIMA SPECIES.

Febris quotidiana legitima.

Obs. I. Puella annorum circiter 30 crassa et valdè obesa in otio vivens, ad forum avenarium tempore pluvioso ac humido, hyeme in febrem quotidianam intermittentem incidit.

Primo die rigor statìm non invadebat sed processu temporis refrigeratio puellam occupabat : pulsus quoque neque ordinem neque æqualitatem servabant dùm accessiones fierent neque veloces aut vehementes erant aut magni ut in tertianâ sed rari submersi et debiles. Urina verò erat alba et tenuis in principio, posteà etiam rubra sine siti, sudore quoque, aderatque oris ventriculi ac hepatis imbecillitas. Præcordia subindè intumebant, sub vesperam etiam invadebat febris, et calor primo tactu erat debilis et vaporosus, sed cùm mora fiebat in tangendo sentiebatur acris et nonnihil mordax. Quotidiè sub vesperam revertebatur per que sex horas demittebat ægram cùm fusâ quiete. (*Forestus*, obs. xx, de Febr. interm.)

Obs. II. Puella 10 annorum in palude degens et pravo victui assueta, incidit in febrem quotidianam exquisitam. Huic tarditas motuum, languor, intumescentia palpebrarum et faciei, lienis inflatio, sensilitas abdominis.

Circà initium horrores mane posteà vespere aut nocte invadebant, frigus à pedibus incipiens ad crura dein et ad rachidem excursabat

absque concussibus, sequebatur calor cum madore. Accedebant sudores nocturni, dolores quasi contusivi artuum in accessionibus, in intervallis autem absoluta pyrexia. (Ex Priv. clin.)

Ergò hisce historiis colligitur febrem quotidianam esse adenomeningeam.

Insidiatur enim potissimùm senibus ac pueris, fœminis magis quàm viris, lymphaticis, segnioribus, otiosis, inordinatâ et crudâ diætâ utentibus; mærore, curis, inediâ, medicaminum abusu, prægresso morbo, læsione organicâ viscerum abdominalium, debilitatis atque exhaustis. Frequentiùs infestat hyberno aut autumnali tempore, tempestate pluviosâ, habitatione humidâ, depressâ, paludosâ. Producitur aere frigido, irarum æstibus, purgante aut vomitorio aut astringenti præposterè adhibitis, ect.

Insignitur accessione circà noctem vel mane primo, calore moderato, lento, languore, sopore, aliisque ut in præced.

Ergò annumerari debet inter adenomeningeas febres.

Decursus morbi : accessio mane aut vespere cum frigore et horrore rarissimè cum tremore; frigus autem incipiens à membris abdominalibus pergens ad usque rachidem à calore non penitùs sejunctum, sed utrumque intermixtum; calor quidem magis lentus quàm mordax, per noctem protractus, madidus, imperfecto sudore solutus. Sub hæc : cardialgia, nauseæ, cephalalgia, inflatio alvi, vomitus aut alvi secessus vel etiam uterque, rara sitis, pulsus inordinatus anteà et debilis increbrescit, frequens non adeò durus sed mollior, urinæ tenues, crudæ, citrinæ; in somnum insuperabilis ferè proclivitas : interdùm fiunt accessiones duæ et dicitur quotidiana duplex. In apyrexiâ dolor artuum contusivus, sensilitas abdominis, inertia ac hebetudo totius, sensus molestiæ ac gravitatis.

Ea autem est regularis et exquisita, legitima dicta.

At verò alia spuria erratica aut anomalia, estque,

SECUNDA SPECIES.

Febris quotidiana spuria.

Obs. 1. Fœmina 20 annos nata lymphatica puerum quem lactaverat cùm ab ubere separasset, præter quàm quòd totâ laboraret die, totâ vigilaret nocte propter puerum, parcè ac miserè nutriebatur. Correpta fuit horrore et frigore dorsi cum concussione tremulâ. Flava ei facies, cephalalgia orbitalis, epigastralgia, os amarum. Crastinâ die accessio recurrens cum iisdem symptomatibus et sic quatriduo sequenti, videbaturque febris remittens gastrica. Verùm quintâ die intermissio absoluta et aliis diebus, symptomata gastrica nulla; eorum loco tumor faciei œdematosus et palpebrarum, os muco glutinoso obductum, dolor abdominalis. Accessio vespertina cum frigore per unam sesqui horam absque tremore à pedibus ordiente, assurgente ad truncum, caloris afflatibus interrupto, deìn calore, sudoribus nocturnis identidem quoque sensu frigoris interruptis. Sic permansit 15 diebus; exceperunt paroxismi deìn spontè curata fuit. (Ex Lect. publ.)

Ex his et aliis manifestum est febrem quotidianam complicari cum febre gastricâ sive symptomata primò ementiantur remittentem gastricam, deìn excipiantur à febre quotidianâ, sive tantùm quædam incipiant symptomata gàstrica, sive redeant in decursu, aut utraque intermisceantur.

Hæ autem observationes rariores, varietates autem numerosiores sunt, ut non sit immatura hujus speciei determinatio. Fieri tamen potest ut dispositio peculiaris ad febrem adenomeningeam concurrat cum aptâ tempestate ad producendas febres gastricas, quod sufficit ut ea complicatio observetur.

Nunc abstractione genus efformetur.

Genus.

Accessiones quotidiè vesperè aut manè, calor moderatus, diutiùs protractus, languor et inertia in apyrexiâ.

Ea autem quotidiana febris, epidemica quandòque observatur post inordinatam irregularemque diù temporum anni constitutionem. Ad plures usque menses excurrit imò et annos. (*Rhodius*, *Allen.*)

4.° Datur febris adenomeningea quæ quarto quovis die, intercalaribus integris binis corripit et dicitur quartana. Hujus tres species : legitima, spuria, visceralis.

PRIMA SPECIES.

Febris adenomeningea quartana legitima.

Obs. Vir 45 annorum corporis phlegmatico melancholici, cùm tempore autumnali, tempestate pluviosâ aliquot horas in horto consumpsisset et præter solitum perfrixisset, præcedente verò meridie plus justo de carne fumo induratâ ingessisset et haustum vini copiosioris superbibisset, indèque statìm in hortum, ut dictum, digressus esset, percipit mox repentinum languorem, frigore insigni sed tamen sine horrore percellitur cum aspectu admodùm horrido seu tabido.

Redit in domum ubi concalefacto etiam conclavi nihilosèciùs frigere pergit per sesqui horam, dolet simul caput obtuso sensu, adest aliqualis nausea levis tamen, pressio verò circà hypocondrium sinistrum insignis; succedit æstus sed mediocris per quatuor horas durans quibus elapsis remittit, remanente solùm insigni languore artuum lassitudine, quìn etiam somni usque ad mediam noctem difficultate. Posteà tamen dormit.

Sequenti die, imò perindiè nihil quidem persentiscit adversi, nis appetitûs aliquem languorem, lassitudinem, aliquam tensionem præcordiorum post pastum.

Succedente die quarto circà eamdem pomeridianam redeunt symptomata eadem quæ primo die afflixerunt, imò totus paroxismus (*Stahl* è Coll. casuali.)

Plurimæ aliæ deprehenduntur in operibus *Foresti*, *Hoffmanni*, etc. Ex quibus compertum manet eam febrem inter adenomeningeas esse recensendam.

Corripit enim corpora provectioris ætatis, constitutionis hypocondriacæ vel melancolicæ, post læsionem organicam, catameniorum vel aliarum sanguinis evacuationum suppressionem aut cessationem. Infestat autumnali tempore aut hyberno, in nosocomiis potissimùm, campis, ergastulis, locis paludosis.

Producitur vitâ otiosâ, victu insalubri, usu nimio acidorum, aqueorum, delitescentiâ affectionis cutaneæ chronicæ, studiis protractis, mærore, curis, sordibus.

Insignitur languore, frigore à pedibus incipiente, calore continuato, dolore artuum abdominisque et aliis de quibus suprà.

Ergò meritò inter adenomeningeas quartana legitima numeratur.

Decursus morbi: accessio fit vespere cum sensu frigoris diuturni à pedibus ordientis, dein calore madido per totam noctem continuato, dolore artuum contusivo; apyrexia, duobus diebus, uno duntaxat si sit quartana duplex, observatur. Supersunt languor generalis, anorexia, inertia constans, lassitudines spontaneæ, lurida facies et œdematosa, quandòque abdominis aut hypochondriorum intumescentia.

SECUNDA SPECIES.

Febris quartana spuria.

Obs. Fœmina 32 annorum post puerperium degens in locis humidis depressis, lactans infantem, mæroribus confecta nec sine quâdam functionum intellectûs alteratione corripitur febre quartanâ sub finem autumni; optimæ cæteroquìn constitutionis, nec œdematosus ei faciei tumor nec pedum erat, diebus liberis cibos appetebat, recurrebant accessiones pomeridianis horis cum symptomatibus gastricis. Horrores per duas, tres, quatuor horas durabant.

Caracter hujus: oppugnat aliundè benè constitutos sed in locis

humidis degentes. Evenit etiam ex præposterâ curatione eruptionis cutaneæ.

In eâ interdùm nulla sanitatis læsio in apyrexiâ, nullus faciei aut pedum tumor œdematosus, non lurida facies, sed varia hora accessuum, calor non adeò continuatus per noctem. Occurrunt symptomata gastrica.

TERTIA SPECIES.

Febris quartana splanchnica.

Observationes hujus extant in operibus *Tulpii*, in collect. thesium *Halleri*.

Dispositiones : morbus acutus aut chronicus prægressus qualis hepatitis, splenitis, ascites, cessatio catameniorum, valetudo anceps.

Causæ exc. : eædem ac præcedentium.

Symptomata : Frigus intensius longiùsque protensum, calor in apyrexiâ acrior, molestior, pallor et œdema faciei, dolor visceris læsi tactu augescens, contusio membrorum, tumor pedum, cutis color flavidus, luridus, aut plumbeus, macilentia, marasmus.

Ergò dantur quartanæ legitimæ, spuriæ, splanchnicæ.

Grassatur ea febris epidemicè interdùm (*Sennert, Bartholin, Hoffmann.*)

Endemica est in locis paludosis, depressioribus, ect.

Genus.

Accessiones insignitæ frigore plus aut minùs intenso ac protenso, calore cum levi madore, doloribus artuum contusivis ; apyrexia uno vel duplici die cum correlatione accessuum quaternis diebus, languor aut restituta sanitas per apyrexiam.

Ex collectione generum ordo constat.

Ordo.

Ergò iste ordo continet febres continuas, remittentes, intermittentes sub typo quotidiano et quartano; quæ omnes insigniuntur symptomatibus parùm intensis. In omnibus his : pulsus concentratus ferè naturalis, horripilationes ut plurimùm absque tremore, calor moderatus, secretio mucositatum viscosarum abundantior in ductu alimentari et indè reditus vomituum aut alvi dejectionum frequentior vel minimè; per diem intolerabilis somnolentia; exacerbationes per noctem cum doloribus artuum contusivis, sudores acidè olentes, interdùm salivatio producta. Exordia sumunt à debilitate universali, ab irritatione illatâ tubi intestinalis mucosæ membranæ eâ quidem determinatâ à constitutione debiliori, victu insalubri, vitâ socordi, solutâ, inordinatâ, mansione paludosâ, depressiori, studiis impensioribus, animi affectibus, mærore, curis. Decurrunt lentè. Solvuntur 9.°, 14.°, 19.°, 42.° et ultrà.

Quotidiana autem et quartana indeterminato tempore. Possunt grassari endemicè, epidemicè; consociari aliis febribus aut cuilibet phlegmasiæ, ut plurimùm læsioni organicæ viscerum abdominalium.

Corollarium. Ergò si attendatur ad causas, prædispositiones, symptomata quìn ad extispicia certò constat earum febrium sedem esse glandulosas intestinorum tunicas. Indè nomen adenomeningearum.

Ergò dantur febres adenomeningeæ; aliundè continuæ, remittentes, intermittentes.

Ergò, etc.

Prognosis. Solutio fit 9.°, 14.° die crisi salutari ut plurimùm manifestâ id est, sudoribus nocturnis, acidis, sedimento lotii mucoso, albo, cohærenti, efflorescentiis ori, superficiei totius enascentibus, diarrhæâ levi, expulsione vermium, multâ salivatione cum vel absque aphtis, ulceratione sacri, trochanteris.

Si tardiùs decurrat morbus dividitur in tres periodos quarum in tertiâ humectatur lingua, decrescit sitis, pulsus evolvitur, variant

hora intensitasque paroxismorum, urinæ faciles, turbidæ, sedimentosæ fiunt, paulatîm evanescit sensilitas abdominis, morbus lento gradu, recuperatis functionibus ad sanitatem vergit sine crisi manifestâ.

Interdùm sed funesto prorsùs exitu, morbus terminatur ulcere interno, scirrho, gangrenâ intestinorum, congestione in pulmones, transit in intermittentem si continuus aut remittens sit, in infarctus, indurationem viscerum abdominalium.

Quotidiana et quartana solvuntur etiam quandòque eruptione pustulosâ, fluxu hemorroïdali, dissenteriâ, morbo quovis acuto.

Ut plurimùm gravidas post puerperium, utraque relinquit. Quandòque præcavet ab aliis morbis, quandòque eos sanat aut judicat, maximè quartana. Quandòque periculosæ fiunt ab ægrotantis debiliori statu, inordinatâ diætâ, præposterâ medicatione.

Contumacior et facilè redux utraque in tenellâ ætate, acutior et facilè cedens in adultis, funestior senibus.

Curatio. In continuâ aut remittente. 1.° Emesis ; 2.° laxantia ; 3.° mucilaginosa sociata tonicis ; 4.° analeptica. Omnia hæc pro re natâ.

In quotidianâ aut quartanâ. 1.° Tonica subamara, aromatica, analeptica, tincturæ; 2.° laxantia mixta tonicis ; 3.° kinakina vel solum vel sociatum pro renatâ, habitis habendis ; 4.° auxilia ex hygiene.

ORDO IV. Adynamicarum febrium.

(Impressio debilitatis aut atoniæ directa in musculorum irritabilitatem.)

In iis est prostratio virium.

Prop. Dantur febres adynamicæ continuæ, remittentes.

1.° Datur febris adynamica continua cujus species quatuor : una simplex, complicatio triplex.

PRIMA SPECIES.

Febris adynamica continua simplex.

Obs. I. Clazomenium febris vehemens corripuit; à principio dolebant illi caput et collum et lumbi, etc. (*Hippoc.*, Epid. 1, ægr. 10.)

Obs. II. Fœmina quinquagenaria inediâ, jacturâ bonorum, mærore compulsa, venit in nosocomium mulierum. Aliquanto tempore tristitia, tædium, valetudo anceps. Post hæc : horripilationes, calor mordax.

Crastinâ die pallida facies et alterata, stupor et temulentia quædam, os glutinosum, pulsus debilis ac depressus, prostratæ vires.

Sextâ. Os, lingua, dentes fuliginosa; prostratio summa, facies hippocratica, responsa brevia, respiratio stertorosa, spiritûs fœtor, pulsus debilis, citissimus.

Septimâ die obiit. (Ex Lect. publ.)

Supervacaneum foret cumulare observationes; igitur ex iis caracteres depromamus.

Prædispositiones : nulli ætati, sexui, constitutioni parcit, insidiatur omnibus præprimìs tamen provectæ ætati, corporibus laxis, infestat potissimùm tempestate pluviosâ, frequentiùs occurrit quoties adest hominum frequentia et ubi desunt commoda vitæ : amat ergò castra, naves, carceres, nosocomia in quibus aer humidus, stagnans, conclusus.

Causæ occasionales : inedia, victus pravus ex putrescentibus præsertìm granis, effluvia stagnantium seu exundantium aquarum, miasmata è corporibus ægrotantium et animalibus vegetabilibusve putrefactis emanantia, mansio in locis depressis, lucubrationes, evacuationes nimiæ, nimia venus, nimia ingluvies, vita exercitata nimìs, aut è contrà socordia, sordes, mæror, pavor, pus resorptum contagium.

Prodroma : lassitudines spontaneæ, defectio animi, tristitia, languor per aliquot dies absque causâ.

Decursus morbi : ab initio et deinceps. Stupor, gravitas capitis, vertigines, temulentia quædam, somniatio vel leve delirium, idearum confusio aut incoherentia, pulsus debilis, depressus parùmper frequens, calor acer ac mordax, oris fætor, lingua dentes et labia muco fuliginoso obducta, lurida facies et alterata, quandòque excretiones fæcum aut urinarum involuntariæ, quandòque meteorismus et alvus stricta, quandòque petechiæ purpureæ vel lividæ, quandòque parotidum inflatio, prostratio virium absoluta, supinatio. Paroxismus circà vesperas recurrens.

Solutio benigna fit, madore generali cutis, humectatione linguæ, restitutâ salivæ secretione, aliisque, evolutione pulsûs, intellectualibus functionibus redivivis, motuûm et virium recuperatione. Mors nuntiatur exacerbatione symptomatum, respiratione anhelâ, citâ nimìs, dejectionibus colliquativis, lipothymiis, aphoniâ. Ergò datur 1.ª species. Febris adynamica continua simplex.

SECUNDA SPECIES.

Febris angiotenica adynamica continua.

Hanc annotavit *Stoll* anno 1778. Hanc admittit *Selle* sub nomine febris continentis inflammatoriæ. Hanc quoque sæpè sæpiùs observavit celeberrimus professor *Hallé* circà principia morbi.

Pulsus erat evolutus, fortis, arteriæ temporales validè pulsabant, colorabatur admodùm facies, oculi rubentes, ignei, scintillabant, calor urens nonnihil halituosus persentiscebatur.

Hæc omnia per tres quatuorve dies quandòque septem permanebant ità ut febris ardens crederetur. Verùm subitò subsidebant, prostrabantur subitò vires et febris adynamica prorsùs apparebat.

Hæc in atactis, in febre americanorum, in adenonervosis pariter observari animadvertit idem celeberrimus *Hallé.*

Hujus caracteres : Prægressa symptomata angiotenica per tres aut quatuor dies, dein symptomata adynamica in reliquo decursu, vel decursus symptomatum utriusque simultaneus.

Verùm indeterminata manet.

TERTIA SPECIES.

Febris gastroadynamica continua.

Hujus extat exemplum Epid. 1, hist. 2. Silenum ex laboribus, etc. Aliæ suppetunt historiæ in Medic. clin., in collect. Societatis Hafniensis quas satìs est indicasse.

Caracteres: concursus causarum quibus utraque febris producitur, adducit symptomatum utriusque fædus. Ut plurimùm prior invadit febris gastrica, post quartum, quintumve, octavum quandòque diem sequitur febris adynamica, pergitque reliquo decursu.

QUARTA SPECIES,

Febris adenomeningea adynamica continua.

Hujus exemplum absolutissimum refert *Wagler* in suâ de morbo mucoso dissertatione, et hist. ixâ, satis est eos fontes indicasse ne longiùs protrahatur dissertatio nostra.

Eadem de eâ dicantur ac de gastroadynamicâ.

Ex earum communibus proprietatibus exurgit generis caracter.

Genus.

In secundâ periodo, id est, evolutis jàm symptomatibus; pulsus plùs minùsve debilis ac depressus, stupor, leve quandòque delirium, prostratio virium, lingua fuliginosa, alterata facies.

2.° Datur febris adynamica remittens cujus duæ species; simplex et complicata.

PRIMA SPECIES.

Febris adynamica remittens simplex.

Obs. Fœmina 60 annorum potibus alkoolisatis assueta, vexabatur à pluribus annis catharro chronico et à quindecim diebus, revalebat

à peripneumoniâ. Corripuit eam horripilatio, exindè calor per totam noctem, cephalalgia, sitis, manè sudor sequebatur.

4°. Prostratio, alterata facies, somnolentia, pulsus frequens, irregularis, intermittens, diarrhæa.

6.° Eadem. Insuper lingua sicca, arida, oris fætor, exacerbata diarrhæa, respiratio brevis, tussis sicca, frequens, accessio.

9.° Dejectiones involuntariæ, summa prostratio, accessio manè recurrens, vesperè paroxysmus, genæ rubentes, pulsus elevatior. (*Vesicatoria.*)

10.° Manè accessio, lingua dentesque fuliginosæ, deglutitio impedita, carpologia, acris calor, pulsus parvus, frequens, ulcera à vesicantibus pallida, paroxismus, oculi hebetes, vagi, delirium.

12.° Color conjunctivæ, colli, thoracis subflavus, horâ nonâ accessio, vesperè paroxysmus.

14.° Exacerbata omnia, sopor nocte totâ.

15.° Restitutæ sed confusæ functiones intellectûs, deperdita sensilitas, pulsus gracillimus, frequentissimus, aphonia.

16.° Accessio nulla, color cutis flavus ac luridus intensior, oris fætor intolerabilis, carpologia, artuum refrigeratio, mors.

Causæ : Eædem ac adynamicæ continuæ.

Dispositio : Aptior ad suscipiendam febrem remittentem adynamicam, constitutio scilicet fracta debilitataque ab affectionibus chronicis prægressis vel à læsione organicâ, abdominis præcipuè.

Symptomata : eadem, verùm singulis aut alternis diebus integer accessus frigore et calore constans horâ determinatâ vel non.

Per plurimum morbi decursum pergunt hi accessus, et declinante morbo in paroxysmos caloris abeunt.

Ergò datur 1.ª species. Febris adynamica simplex remittens.

SECUNDA SPECIES.

Febris remittens adynamica complicata.

An complicetur febris remittens adynamica cum anteriorum ordinum febribus nondùm satìs constat, desunt certa observata.

Ergò 2.ª species manet indeterminata.

Genus.

Generaliora febris adynamicæ continuæ; dejectio animi, prostratio virium, pulsûs depressio et alia. Verùm reditus regulares vel non accessuum integrorum, decursus morbi productior.

Q. An febris adynamica intermittens?

Ex collectione generum ordo constat.

Ordo.

Ergò iste ordo continet febres continuas ac remittentes. In omnibus his annotantur; prostratio virium, impotentia quædam contractilitatis muscularis, imminuta sensilitas, facies alterata, debiles pulsus; stupor, lacrymæ, dejectiones aut urinæ involuntariæ, idearum incohærentia vel leve delirium. Earum symptomata plùs minùsve intensa ratione loci, ætatis, temperamenti, ratione causarum, etc. Indè earumdem varietates. Exordium sumunt à causis physicis aut moralibus debilitantibus, influxum nervosum in omnes æconomiæ animalis functiones imminuentibus. Possunt grassari endemicè, epidemicè, consociari febribus aliorum ordinum, phlegmasiis quoque, funesto ut plurimùm exitu.

Corollarium. Ergò si attendatur ad prædispositiones quæ ad debilitatem sensìm conducunt, ad causas occasionales quæ omnes debilitant, ad symptomata quæ motuum impotentiam, debilitatem,

atoniam, prostrationem demonstrant, nonne liquet earum causam immediatam esse, imminutam energiam vitalem musculorum, sive cordis, sive motibus voluntariis famulantium, sive tubi intestinalis; indè denominatio adynamicarum febrium.

Ergò dantur adynamicæ febres, aliundè continuæ, ac remittentes. Ergò, etc.

Prognosis. Solutio benigna fit 7.°, 14.°, 21.°, 42.° die dejectionibus alvi, sudoribus copiosis. Symptomata ad summum sævientia præsagiunt inoptatam morbi solutionem propter debiliorem reactionem. Signa solutionis utriusque, in decursu morbi, suprà memorantur.

Curatio. Initio emesis, si symptomata gastrica; si alvus stricta, tartritis antimonii et potassæ grana duo soluta, fractis dosibus. Vesicatoria si prostratio nimia, vitentur tamen tempore irritationis. Aqua vinosa, vina mera generosa, absinthii aut kinatis vina. Sed illa curatio generalis non excludit modificationes varias quas requirunt variæ complicationes. In angiotenicis adynamicis curatio congrua refrigerantibus et acidis unicè nititur. *Stoll.*

Ordo. v. Atactarum febrium.

(Læsio profunda irritabilitatis ac sensibilitatis, nervosa symptomata.)

In iis est ataxia virium.

Prop. Dantur febres atactæ continuæ, ac periodicæ remittentes, intermittentes.

1.° Datur febris atacta continua cujus species quinque: sporadica, è contagio, lenta nervosa, cerebralis, complicata.

PRIMA SPÉCIES.

Febris atacta sporadica.

Obs. 1.ª In Thaso Dealcis uxorem quæ decumbebat in Plano febris

cum horrore et acuta ex mærore corripuit, etc. (*Hipp.*, Epid. 3, sect. 3, ægr. 15.)

Obs. 2.[a] Vir consularis annos natus 50, alioquì robustus ac boni habitûs, sanguineus ac parùm pituitosus, cùm hic per totam æstatem quotidiè rus adiret plùs æquo agriculturæ intensus et impensè fructibus horæis delectaretur, domum reversus continuâ tertianâ correptus est; suomet consilio sumpsit purgationem, altero die sibi jussit detrahi sanguinem, eodem die alteram purgationem sumpsit; indè prostratio, sitis intensa, capitis gravitas, delirium. Urina cruda, alba, tenuis, clara, atque ità permansit. Erat autem valdè inquietus et adeò sitibundus ut sine ratione cerevisiam continuò ingurgitaret, calore circà præcordia intùs permanente.

6.° die, deciès sexiès è lecto se movit et plurimos congios cerevisiæ ingurgitavit. Febre sub noctem ingravescente rursùs ex lecto sæpiùs surgebat, pedes hinc indè jactabat, denudabat tegumenta non ferens, pessimè habuit ac subindè deliravit.

9.° Externis refrigeratis, voce destitutâ sub noctem circà 7.[am] horam obiit. (*Forestus*, lib. 2, de Febrib.)

Obs. 3.[a] Fæmina 44 annorum, hemiplegiâ à biennio laborabat post convulsiones à pavore ortas; benè valens lectum petiverat.

1.° die morbi tertiâ horâ matutinâ absque causâ cognitâ clamores ac planctus emittit, membra ejus exagitantur convulsionibus, tentat inarticulatas voces, edere sed frustrà. Pomeridianis horis sua stercora vorabat, luctuosa admodùm erat respiratio totâ nocte.

2.° die. Facies colorata, vagus obtutus, pulsus nunc parvus frequens, digitum fugiens; nunc fortis, evolutus; motus convulsivi membrorum abdominalium maximè à parte affectâ, subsultus haud rari, lingua albida, humectata, rubra in limbris. (*Vesicantia cervici*, *potus tonici*, *potio vinosa.*)

3.° Obiit sextâ horâ matutinâ. (Ex Med. clin.)

Autopsia: effusio serosi utrìnque in sinubus encephali.

Ergò ex hisce testimoniis facilè innotescit sporadica atacta.

Prædispositiones. Infestat in omni tempestate, regione, corripit

omnes, fœminas ac viros, robustos ac debiles, pueros, adultos, senes.

Causæ occasionales. Constitutio pervigiliis protensis, corporeis exercitationibus, voluptatibus venereis aut solitariis, litterarum studiis exhausta, morbo prægresso, abusu medicaminum, vitâ sedentariâ, inordinato regimine, mansione insalubri, affectionibus hystericis hypocondriacis ve, mœrore abrupto, subito, vehementi, fracta debilitataque.

Symptomata. Præeunt per octiduum, valetudo anceps, symptomata dubia alicujus morbi, vertigines, dejectio animi, somniatio levis, ideæ incoherentes.

Invadit morbus horripilationibus cum levi caloris sensu. Accedunt exacerbationes irregulares, vehementioris excitationis et affectionis soporosæ alternæ vices, caloris inadæquata distributio, varia intensitas et duratio, variique vario tempore reditus, vultus evagatus; pulsus nunc strictus, exiguus, nunc frequens, evolutus, respiratio suspiriosa interdùm aut cita, frequens; convulsiones aut tensiones tetanicæ quarumdam partium faciei, præsertìm oculorum et maxillæ inferioris; oculi obscurati, hebetes, fixi, vel rutilantes, ignei; obtusus auditus, vel exquisitus nimiùm. Morbus ut plurimùm funestus.

Extispicia demonstrant effusionem seri vel sanguinis sub meningibus vel in ventriculis encephali.

Ergò datur 1.ª species sporadica atacta.

Multiformis singularibusque modis incedit ac exhibet sese febris atacta sporadica quorum profectò plurimi adhùcdùm ignorantur; harum varietatum insigne quoddam atque præstantissimum exemplum nobis à celeberrimo professore *Hallé* communicatum ipsiusque manu delineatum hìc afferre juvat.

Obs. Vir cultrorum faber circiter 36 annos natus, macilentus, fusco cutis colore, capillis et superciliis nigerrimis, oculis ardentibus, iracundus, acer, moræ omnis impatiens, corripitur morbo quo noctu cecidit quasi apoplecticus, indè dextrâ paralyticus, sinistrâ convulsus expergiscitur; sed motu linguæ membrorumque tremulo,

oculisque errantibus adeò conspicuus, febre ingravescente et accedente quasi subdelirio, ut atactæ febris imaginem videretur medico repræsentare. Tertio die paralysis evanuit et interrupta convulsio simulat epilepticos insultus qui tùm frequentiâ tùm violentiâ ingravescunt ad septimum usque diem ; sensibus, memoriâ evanescentibus, ore spumoso, stertore, torvis oculis, convulsis violenter membris, insultu subitò invadente, subitò post aliquot horæ minuta evanescente, nullâ prægressorum memoriâ remanente. Septimo die sex aut septem intrà nycthemeron insultibus lacessebatur æger, indè rariùs et leviùs donec decimo quarto omninò liberatus est, et ferè convaluit; tantummodò perpetuis hìnc indè per artus, dorsum, scrotumque furunculis erumpentibus laboravit et sexagesimo demùm die integræ prorsùs sanitati restitutus est.

SECUNDA SPECIES.

Febris atacta è contagio.

Plurimi scriptores præstantissimi de eâ tractarunt ex professo, inter quos eminent *Jackson*, *Letsom* qui singulares historias omni numero absolutas proindè genuinam distinctamque hujus ideam nobis tradiderunt. Eam nuperrimè epidemicè grassantem in territorio Gratianopolitano delineavit *Trousset*, eam quoque *Ruette* descripsit grassantem in hospitio Sancti-Ludovici.

Obs. 1.ª Homo septuagenarius decumbebat à diebus decem.

10.° Summa erat prostratio virium, centiès et trigesiès arteriæ pulsabant, indumento fuliginoso lingua, dentes, obducebantur. Nunc coma, nunc delirium, nunc nauseabat æger, nunc minimè; oculi ignei scintillabant, spiritum arduè trahebat, singultiebat, nec audiebat, nec poterat distinctìm adere sonos. Ex toto pessimè olebat (*Letsom*). *Tonicis*, *renovatis aere*, *linteis*, *irrigationibus ex aceto curata fuit*, ea febris à 15 ad 21 diem. Ortum duxit epidemia è carceribus. In eâ observabantur symptomata adynamica et atacta

mixta simul. Præter enim prostrationem virium, indumentum linguæ fuliginosum, fœtorem et alia, etc., occurrebant symptomata nervosa, qualia : subsultus tendinum, singultus, constrictio musculorum laryngis spasmodica, carpologia, delirium, coma, instantanea cæcitas, exacerbationes irregulares, calor inadæquatè distributus, variæ respirationis, circulationis alterationes, etc.

Obs. 2.ª In hunc morbum incidit vir legisperitus, per octiduum symptomata gastrica, valetudo anceps.

8.° Pulsus debilis, frequens, os nigrum, anxietas, agitatio continua, delirium, convulsiones musculorum facialium, subsultus tendinum, coma, carus. Potus respuebat; eadem omnia ad 13.um usque.

13.e Lipothymiæ.

19. Solutio optata morbi, *Sociabantur tonica antispasmodicis* (*Trousset*). Ortum duxit epidemia ex hospitiis in quibus coacervabantur milites ægroti. Anno septimo (1799) hyeme regnavit endemicè morbus in hospitio sanludovici, exordium sumpsit, in loco depressiori, humido, proximè latrinas, ex congregatis tùm ægrotantibus quibus erant ulcera sordida, tùm famulis eorum, qui omnes accedebant ad focum. Aderant ergo plurimæ causæ quæ vitalem energiam ac sensilitatem labefactabant.

Obs. 3.ª Vir quidam quadragenarius cujus erat officium ministrare ægrotis eâ febre correptus fuit. Per quinque aut sex dies singultiebat adeò validè ut penè suffocari videretur, optatum habuit exitum 21 die. Alius extinctus est.

Monstravit autopsia effusi seri in gemino encephali ventriculo circiter uncias tres (*Ruette.*).

Eadem annotavit celeb. *Pinel*; ipse morbo correptus gravissimè ægrotavit.

Nunc ergò hujus morbi delineandi caracteres.

Prædispositiones. Habitatiò in locis angustioribus humidisque in quibus concursus et influxus plurium insalubrium : ergastula v. g. naves, crypta, nosocomia.

Causæ occ. Ignotum contagium cujus exordia, in locis suprà

dictis ab aere congesto, sordibus, linteis non renovatis, dejectionum effluviis; cujus infixa sedes, linteis, vestimentis; cujus demùm communicatio iisdem, necnon ægrotantium respiratione, transpiratione.

Symptomata. Non solùm ex consideratione locorum, verùm etiam ex evolutione suâ distinctè innotescit iste morbus; tres igitur hujus periodi.

1.[a] *Periodus.* (incubationis) Vertigines, stupor, morositas, somnia territantia, lassitudines spontaneæ, vomitus, symptomata gastrica, temulentia, horripilationes anomalæ; imprimìs cognitum contagium.

Tribus, quinque, ad summum octo diebus perdurat illa periodus.

2.[a] (evolutionis) Agitatio maxima, summa dejectio, pulsus debilis, frequens, irregularis, depressus, læsæ functiones intellectûs ac perturbatæ, lurida, dissoluta, consternataque facies, vox tremula, indistincta, lingua vibratilis aphonia quandòque; oculi vitrei, ignei, scintillantes, surditas identidèm intensa.

(Pro tempestate, loco, subjecti dispositione potest morbus incedere sub schemate febris angiotenicæ, gastricæ, mucosæ; indè sedulò observandus.)

3.[a] (Summæ sævitiæ.) Summa virium prostratio, pulsus frequens admodùm, tactum fugiens, respiratio, lenta suspiriosa; amentia, delirium, subsultus tendinum, motus convulsivi, oris fœtor, absolutus stupor, nulla prorsùs sensilitas, quandòque exaltata nimìs, singultus, constrictio laryngis et thoracis, quandòque hydrophobia, alvus stricta vel laxa, aphonia, mors.

Ergò datur secunda species. Febris atacta è contagio. (A veteribus typhus, à recentioribus febris carcerum dicta.)

Q. Anne ut typhi varietas consideranda febris flava Americanorum ?

TERTIA SPECIES.

Febris lenta nervosa.

Obs. 1.[a] Adolescens, cùm vix attigisset quindecim annos citissi-

mè adolevit et ad altitudinem sex ferè pedum subitò pervenit. Indè debilis admodùm factus, sustinendo vel levissimo labori impar, motuûm impotens, cibos non appetens, domi remanebat. Aliquantò post invadit febris cum dolore vago epigastrii thoracisque, vel potiùs earum obtusâ sensilitate, pulsu tardo debili, alvi stricturâ, linguâ albâ humidâ, inappetentiâ, rarâ siti, atoniâ.

Decurrit morbus quindecim diebus et benignè solutus fuit. *(Gilchrist.)*

Obs. 2.ª Puella 30 annos nata ex mœrore incidit in morbum. Continuus ei capitis dolor, musculorum cervicalium tensio, nocte somnia territantia, motus tremuli ac subsultus membrorum, caloris frigoris æstuumque ad faciem alternæ vices, variæ mutationes rithmi ac frequentiæ pulsuum, ructus, flatus haud rari, deperditus appetitus, dolores vagi erratici quarumdam partium. *Opio rité adhibito cessit morbus à 15.° ad 20.um diem. (Robert With.)*

(Duo luculentissima refert exempla celeb. *Pinel*, in suâ Medic. clin.)

Ergò ad caracteres deveniamus.

Prædispositiones. Constitutio debilis, spasmodica, hypochondriaca, hysterica, melancholica. Adolescentia, pubertas, sexus sequior, chlorosis, catameniorum cessatio.

Causæ occasionales. Morales aut physicæ debilitantes. Mœrores, languor, inedia diù experta, reconvalescentia dubia sive ab imbecillitate propriâ, sivè à medicatione præposterâ, medicamentorum abusu maximè cessantibus menstruis; vita inexercitata, lucubrationibus, vigiliis obruta, onanismo consumpta.

Symptomata. Initio, angor, morositas, somnolentia, inquietudo vaga, horripilationes leves incipientes à pedibus deìn ad alias corporis partes excursantes, desipientia quædam, idearum incohærentia, vertigines, quandòque tamen judicium sanum, distinctæ ideæ, inappetentia, anorexia, rara aut nulla sitis, pulsus lentus, frequentior sub vespere.

Deìn post quinque vel sex dies summè sævit morbus. Varius, anomalus, multoties iteratus calor die noctuque, paroxysmi irregu-

lares, pallida decompositaque facies, subindè caloris afflatus ad vultum, exindè rubor congestionisque signa; intereà narium, aurium, thoracis, extremitatum perfrigeratio, lingua madens, muco albido, subflavo, obducta, quandòque et repentè intensè rubra; compressio regionis epigastricæ, thoracis spasmodica contractio, tetanos partialis aut convulsiones; urina clara, tenuis, quandòque turbida absque sedimento; sudores vagi, frigidi, fugaces; mussitatio, lipothimiæ morte proximâ; pulsus inæqualis, varius, tremulus, intermittens. Terminatur ut plurimùm morbus affectione caroticâ, apoplexiâ, universi corporis convulsionibus à 15.° ad 21.um diem. Rarissimè excurrit ad 35.um vel 40.um diem. Eaque varietas durationis pendet à viribus ægri vel ab intensitate causarum.

Differt ab hecticâ quia causæ producentes lentam nervosam agunt sensìm sine sensu absumendo vires nec viscera lædunt. Complicatur cum anterioribus febribus.

Ergò datur tertia species febris lenta nervosa.

QUARTA SPECIES.

Febris cerebralis.

Unicum hujus exemplum extat apud autores, scilicet in pyretologiâ illustrissimi *Selle*.

Obs. 1.a Vir quidam a primâ juventute suâ hæmorrhagiis per nares, perque vasa hæmorrhoïdalia laborabat, etc. (Pyret. rudim. p. 326, Amstelodami, 1787.) Cumulantur verò historiæ in Medic. clin. *Pinel.*

Obs. 2.a Fœmina septuagenaria jàm à juventute plures arthriticos insultus perpessa et à pauco tempore insuper hemiplegiâ laborans symptomatibus gastricis afficitur.

Ab ingressu occurrunt caracteres febris atactæ sporadicæ. Vultuosa facies, fixus intuitus, oculi prominentes, nunc impossibilis articulatio vocum, nunc demissa vox, contractio involuntaria musculorum brachii sinistri,

2.°, 3.° q. die opistotonos ex intervallis. Pulsus nunc febrilis, nunc minimè.

8.° et seqq. symptomata omnia febris atactæ sporadicæ. Quolibet sub vespere exacerbatio, ad congestionem in encephalum omnia vergebant.

12.° Obiit.

Per totum morbi de cursum anomalus variusque calor duratione, intensitate, distributione, reditu, nunc respiratio suspiriosa, nunc naturalis; nunc demissæ voces, nunc aphonia.

Ostendit autopsia utrumque ventriculum encephali sero refertum (ex Medic. clin.).

Ergò more atactarum decurrebat morbus iste, aliundè vergebant omnia ad congestionem cerebri. Ergò nec erat febris atacta simplex, nec simplex apoplexia. Ergò potest considerari ut species peculiaris.

Ergò datur quarta species. Febris cerebralis atacta.

Hujus dispositiones aut causæ variæ: Mœrores alti, ab inquiete otium, tendentia ad soporem apoplexiamque, prægressæ paralysis, hypocondria, arthritis erratica, insipientiæ quidam status habitualis, nec tamen infrequens apud pueros.

Symptomata. Ut plurimùm primis diebus incertus vagusque hujus morbi decursus, insignitus quandòque symptomatibus gastricis, hujus verò evolutio insignita cephalalgiâ levi, idearum confusione, stupore, pulsûs anomaliis, respirationis, caloris; interdùm convulsio tensiove tetanica fugaxque quarumdam partium, interdùm affectiones nervosæ variæ; cæcitas, surditas, aphonia, intuitus stupidus vel extinctus, facies intensè rubra cum signis congestionis maximè in paroxismis irregularibus, coma vel carus quandòque morbum solvit. Decurrit morbus 14 diebus.

QUINTA SPECIES.

Febris atacta complicata.

Potest quadruplex anterior species complicari.

Cum symptomatibus angiotenicis. (*Dehaen*, t. 9, cap. 19.)

Cum symptomatibus gastricis. (*Finke*, de Morbis biliosis.)

Cum symptomatibus mucosis. (*Wagler*, *Stoll*, anno 1777.)

Cum symptomatibus adynamicis. (*Letsom*, *Jackson*, *Trousset.*) et ea complicatio est typhus.

Cum phlegmasiis quoque.

Ergò datur quinta species. Febris atacta complicata.

Ex iis coalescit febris atactæ continuæ genus.

Genus.

Symptomata nervosa seu spasmodica varia; pulsûs, caloris, respirationis, sensuum aut intellectûs functionum anomaliæ tùm in successione aut duratione tùm in intensitate aut in imminutione earumdem læsionum.

2.° Dantur febres atactæ periodicæ.

Præ omnibus nosci debent hi morbi. Eorum caracteres obvii, distincti, simplices; certissima curatio kina ritè adhibito, morte autem solutio ni succurrat ars naturæ.

Occurrunt sub typo tertiano simplici vel duplici, quotidiano quandòque, rarissimè quartano, remittente, intermittente; non typo quidem sed peculiari quodam ac prævalenti symptomate notabiles ac distinguendi.

De iis scripserunt *Salius*, *Mercatus*, *Heredia*, *Morton.* Et sæculo proximè elapso, *Torti*, *Werlhof*, *Senac*, *Cleghor*, *Medicus*, *Lauter*, nuperrimè *Alibert*, in suâ de Febribus intermittentibus atactis luculentissimâ dissertatione.

Horum autem genera duo: remittentes, intermittentes.

Dantur 1.° remittentes atactæ: quarum duæ species; tritophya, tetartophya.

Nonnisi denominatione distinguuntur eæ febres à malignis subintrantibus, sub continuis, continuis cum typo quotidiano, tertiano, quartano autorum.

A typo aut à symptomate prævalenti non possunt deduci speciei caracteres, nam sunt totidem varietates aliæ in alias facilè mutabiles, quìn in eodem subjecto per totum morbi decursum interdùm etiam coexistentes. Sic casu 4.° notat *Lauter* remittentem duplò tertianam

cujus accessiones peripneumoniâ, pleuritide, delirio, singultu, vomitu, tenesmo, insigniebantur.

Igitur ex historiis singularum remittentium duas species efformabimus unam pro quotidianis et tertianis quia respectu ataxiæ non satìs discriminantur inter se, alteram pro quartanis quia suâ frequenti peculiarique cum læsionibus organicis viscerum consociatione à tertianis et quotidianis valent potissimùm distingui.

PRIMA SPECIES.

Remittens febris atacta tertiana (tritæophya.) (Sauvages.)

Hippocrates eas observavit, sic enim ille de intermittentibus : *malignæ fiunt et ad morbos acutos deveniunt.* Popular., lib 7, et in descriptione morbi Pythionis febrem duplò tertianam continuam agnoscit oculatissimus professor *Pinel.*

Obs. I. In Thaso Pythionem : . . ex lassitudinibus et laboribus et pravo victu, rigor magnus et febris acuta corripuit, etc. *Hippocr.*, Epid., lib. 3, sect. 3, ægr. 3.

Aliam celeb. *Torti* historiam juvat proferre.

Obs. II. Vexabatur tertianâ duplici insignitèr continuâ *D. Lucretia* septimum agens gestationis mensem. In ipso morbi statu advocatur *Torti* qui licèt accedat horâ majoris remissionis invenit tamen ægram intensè febricitantem, ipsique astantes asserunt eam verè tunc temporis meliùs se habere ac alio quovis tempore. Asserunt etiam febrem quâlibet nocte cum sensibili et manifesto rigore exacerbari : manè redit ipsique narratur exacerbationem illam quæ admodùm intensa verè observabatur, invasisse cum manifesto rigore ac frigore intermittentium more. Huic innixus assertioni corticem proponit statìm ac aliqua fiat exacerbationis remissio propinandum.

Mane sequenti consuetum rigorem eâ nocte passam fuisse ægrotantem asseverabant astantes. In os ipsius indidit ipse *Torti* copiosè subsidentiam pulveris peruviani pauco liquore saturatam. Renuit

bibere quod remansit. Quia tamen assumpserat insignem portionem, intrà duos vel tres dies oblitteratis statìm exacerbationibus invita, ut ità dicam, sanata est, dissipatisque sensìm paulò post minutioribus febris reliquiis ad partum naturalem quoque feliciter perducta. (*Torti*, obs, xiv, sub continua malignans.)

Nunc semotis varietatibus assignandi præcipui caracteres.

Prædispositiones: ætas adulta, maximè senectus, constitutio quævis debilitata.

Causæ occasionales: mærores alti, continui, nimia venus, nimia studia, nimia frigora, præprimìs effluvia è stagnis, lacubus, locis paludosis, nostalgia quoque.

Symptomata: continuus tenor symptomatum febrilium id est, sensûs caloris, pulsuum frequentiæ, anorexiæ, etc., cum reditu accessuum frigoris et caloris periodico, irregulari tamen et insignito nervoso quodam et intensiori symptomate, horumque peculiarium accessuum reditus regularis vel non.

Ergò datur 1.ª species. Febris atacta remittens tertiana.

SECUNDA SPECIES.

Febris atacta quartana (tetartophya.) (Sauvages.)

Hanc observarunt perpauci; observationes autem haud absolutæ, notitia enim hujus perdifficilis, consociatur ut plurimùm læsionibus organicis, indè varietates plurimæ, indè species indeterminata donec exactissimæ historiæ et extispicia apertam eam nobìs faciant.

Hujus tamen exemplum *Lauter* suppeditat.

Obs. Homo 36 annorum macilentus varias affectiones jàm expertus, vitiatio regimine correptus fuit frigoribus caloribusque erraticis cum molestiâ ventriculi, anxietate, nauseâ.

Sumpsit pilulas drasticas indè copiosè ac pluriès dejecit ex alvo, indè etiam deperditus appetitus, prostratio virium, sitis intensa, tussis sicca, calor urens.

4.° die. Circà vesperas anxietates maximæ, horripilationes, vomitus suflavi, dejectiones frequentissimæ, tussiendi conatus.

Crastino mane vidit eum *Lauter*, pulsus erat frequens ac debilis, respiratio cita et ardua, dejectio animi maxima, tussis sicca, diarrhæa cholerica, tempora collapsa, aspectus luridus, morosus, continui sudores, dolor et quasi ulcerationis sensus in tubo intestinali, binis diebus remissio manifesta : emendantur dejectiones, tussis, sitis, sensus ulcerationis intestinorum.

8.° die. Accessio ad summùm sæviens, soluta lateritio lotii sedimento. Assumpto kinate subsequens paroxismus multò mitior, vomitus nulli, nullæ dejectiones, moderata omnia, tussis, sitis, anorexia, calor, sudor, etc. (*Lauter.*)

Ergò, *hujus dispositiones et causæ* : eædem ac præcedentis.

Symptomata : Eadem ; verùm læsio simultanea aut affectio quædam chronica viscerum abdominalium.

Historiæ hujus haud absolutæ. Facta desiderantur et extispicia.

Ergò 2.ª species indeterminata manet. Remittens atacta quartana.

Genus.

Febris continua, reditus regularis vel non accessuûm absolutorum insignitorumque symptomatibus nervosis seu spasmodicis maximè sævientibus qualia notantur in decursu febris atactæ continuæ.

2.° Dantur febres intermittentes atactæ quarum duæ species.

Earum species duas agnoscimus quemadmodùm de remittentibus suprà expositum et iisdem rationum momentis.

PRIMA SPECIES.

Tertiana intermittens atacta.

Tertianarum simplicium aut duplicium atactarum adeò notæ, adeò luculenter ac methodicè distributæ sunt historiæ in operibus *Torti*, *Werlhof*, *Pinel*, *Alibert*, ut eos fontes monstrasse satìs nobis esse videatur.

Deveniamus ad caracteres.

Prædispositiones : eædem toties decantatæ.

Causæ occ. : Habitatio propè paludes in locis insalubribus.

Symptomata : intermissio symptomatum febrilium cum reditu periodico quorumdam accessuum integrorum, insuper insignitorum symptomate quodam vehementi pernicioso, ac prævalenti. Hi accessus singulis aut alternis diebus redeuntes. Insigniri adhùc et incedere possunt insidiosis ac ementitis formis, dolore nephritico, assultu epileptico, convulsionum, asthmatis periodici aut hydrophobiæ.

Ergò datur 1.ª species. Febris atacta intermittens tertiana.

SECUNDA SPECIES.

Quartana intermittens atacta.

De eâ eadem dicantur ac de remittente quartanâ. Rarissimæ observationes. Unicum hujus extat exemplum in opere celeberrimi *Torti.* Hanc etiam observavit sed non annotavit illustrissimus præses noster *Hallé.* Stupor, sopor, subdelirium notabantur et increscebant perniciosè admodùm de accessu in accessum. In apyrexiâ autem nulla aderat sanitatis læsio, nulla recordatio prægressi periculi, nec etiam morbi conscia mens ullatenùs; morbum cortice profligavit professor *Hallé* intrà quartam et quintam accessionem.

Hujus subjectum erat octogenarius vir atque commendatissimus professor physices. Hæc ad convictionem, non satis ad descriptionem valent. Ergò hujus deficit caracter.

Genus.

Febres intermittentes insignitæ symptomate nervoso intensiori vel larvatæ schemate insidioso morbi acuti aut phlegmasiæ.

Iis septem assignat verietates sub nomine specierum celeberrimus *Torti* quas hìc delineare juvat.

1.ª *Varietas.* Cholerica dysenterica.

Dejectiones copiosæ, acres, rectum exfoliantes; nauseæ ac vomitus, anxietates præcordiorum, oculi excavati, facies hippocratica durante paroxismo, in intermissione nihilhorum.

Si dysenterica sit. Mucositates cruentatæ, singultus, pulsus debilis, insensilitas, infestat in locis paludosis.

2.ª *Varietas.* Subcruenta atrabilaris.

Durante accessione dejectiones lotis carnibus haud absimiles vel instar fluxûs hepatici, copiosæ, frequentes, pulsus parvus frigidus, sudor, perfrigeratio extremitatum.

Si sit atrabilaris. Sub finem dejectiones nigræ velut à concreto sanguine.

3.ª *Varietas,* Cardiaca.

Morsus acerrimus ventriculi, deliquia, anxietates, suspiria longa, planctus amari.

4.ª *Varietas.* Diaphoretica.

Ineunte accessu horrores circà lumbos, sudores immaturi, frigidi, minimè levantes è contrà nocentes. Pulsus magis ac magis febrilis, atonia tegumentorum.

5.ª *Varietas.* Syncopalis.

Syncope primitiva absque dolore, absque causâ cognitâ initio accessûs vel levissimo motu.

6.ª *Varietas.* Algida.

Horâ invasionis, algor lethalis. 1.â accessione à pedibus ordiens et ad tibias assurgens; 2.â ad crura, 3.ª, 4.ª ad abdomen et enecans.

7.ª *Varietas.* Lethargica.

Ineunte accessu sopor è quo vix excuti potest æger, memoriæ oblitteratio, debilitas. Durante accessu, status comatosus, linguæ paralysis ac titubatio, oblivio, dejectiones involuntariæ, delirium, convulsiones, aphonia, surditas, insensilitas, facies hippocratica.

Iis subjungimus aliam observatam à prof. *Pinel*, descriptam ab ejus discipulo Alibert, quæ dicitur delirans.

8.º Varietas, delirans.

Delirium enascens, increscens, decrescens, in principio, decursu, fine accessionum. Symptomata secundaria, sudores, excretio lotii involuntaria, sitis urens, cutis calor, etc., omnimodè variantia.

Epidemicè autem grassantur remittentes et intermittentes atactæ, funestissimæ admodum sunt, statìm ab insultu plurimos sternunt.

Complicantur etiam cum aliis febribus. (*Lancizi*, *Ramazzini*, *Sarcone*, *Lauter.*) Ex associatione idearum ordo coalescit.

Ordo.

Ergò iste ordo continet febres continuas ac periodicas, remittentes, intermittentes. Earum causæ physicæ aut morales externæ aut internæ debilitantes sunt. Earum caracteres constant anomaliis, spasmis, inæquali variâque caloris sensilitatisque distributione; nunc sopore, nunc delirio; nunc imminutâ, nunc adauctâ nimis visûs, auditûs energiâ; pulsu nunc debili, depresso, tardo, tactum fugiente, nunc cito, frequenti, motibus convulsivis aut tensione tetanicâ musculorum; facie cadaverosâ. Grassantur sporadicè, endemicè, epidemicè.

Corollarium. Ergò si attendatur ad prædispositiones, causas, symptomata, extispicia; nonne demonstratur harum causam immediatam esse impressionem deleteram aut sedativam directam in originem nervorum quæ suspendit eorum influxum aut abnormem reddit, indè congestiones aut effusiones in encephalo; indè etiam nomen atactarum febrium.

Ergò dantur febres atactæ, aliundè continuæ ac periodicæ.

Ergò, etc.

Prognosis. Terminantur ut plurimùm morte sporadicæ, lentæ, contagiosœ, cerebrales. Remittentes autem ac intermittentes kinate ritè præscripto certissimè, optatissimè, curantur.

Curatio. Tonicis amaris, antispasmodicis, vesicatoriis, excitantibus, omnimodè, ritè, tempestivè usurpatis.

In intermissione remittentium aut intermittentium, cortex peruvianus citò, necessariò, largè propinandus, solus vel sociatus.

Ordo vi. Adenonervosarum febrium.

(Nervosa symptomata et affectio simultanea glandularum.)

In iis est syderatio virium.

Ordines jàm quinque rapido cursu perlustravimus unum antè alium minimè collocantes prout menti occurrebant; verùm attendentes in iis distribuendis ad eorumdem varios simplicitatis gradus gradibus variis conatuum naturæ ac virium insignitos, eâque consideratione posuimus in extremo limite febres adenonervosas omnium ferocissimas atque exitiosissimas. Ad institutum nostrum redeamus.

Prop. Datur febris adenonervosa continua duplici specie, simplici, complicatâ, constans.

Licet per integram temporum seriem singulas mundi partes successivè peragraverit pestis funestissima lues; nonnisi proximè mox elapso sæculo hujus notæ genuinæ, fixæ determinatæque sunt. Anteà ut plurimùm promiscuè confundebatur cum febribus pessimi moris populariter grassantibus, at verò sagacismi viri *Diemerbroech*, *Samoelowitz*, *Mertens*, *Bertrand*, et nuperrimè multiplici titulo noster *Desgenettes* hujus effectus testes impavidi pedetentìm observarunt, graphicè delineaverunt, hujusque historiam veracitate, eruditione, concisione fecerunt omnimodè absolutam. Quorum testimonia quoniam potìs est in ipsis consulere fontibus aut in nosographiâ, satìs erit indicasse.

Verùm quod æquè omnibus non notum, epistolarium, inter celeberrimos professores *Pinel* ac *Desfontaines* juvat hìc patefacere commercium.

Aderat *Tunetis* regius professor *Desfontaines* cùm navis quidam ab Alexandriâ redux pestiferos quosdam in littus evomuit quorum alii interiora penetrarunt, alii *Tunetis* remanserunt. Mox occurrerunt febres pessimæ indolis, calida tempestas erat, et exæstuante cœlo len-

tiùs progrediebatur lues ac clancularias struebat insidias. Nec mora: à consule gallo accitus *Desfontaines* rogatur ut signare velit morbi caracterem, cautis cavendis progreditur ille ad examen cujus diarium illustrissimo *Pinel* communicavit.

PRIMA SPECIES.

Obs. 1.[a] Medicus Arabs à quatriduo decumbebat. Symptomata angiotenica notabantur, intensè rubebat vultus. Delirium, summi angores, convulsiones faciei et oculorum vexabant ægrum. Ab initio bubo latissimus apparebat in inguine dextro. Obiit 7.° die (*Desfontaines.*)

Obs. 2.[a] Fœmina: morositas, dejectio animi, anxietas, delirium. Bubo latissimus in inguine. Obiit 7.° die. (*id.*)

Obs. 3.[a] Hujus filia acutiùs percussa fuit bubonibus axillaribus, porotidibus, facies ei pallida, decomposita; pulsus vix obvius tactui, obiit statìm post examen. (*id.*)

Obs. 4.[a] Juvenis sex ferè ab horis correptus peste. Motûs ac sensûs subita atque integra abolitio, stupor, anthrax nullus. Obiit spatio 24 horarum quasi syderatus. (*id.*)

Obs. 5.[a] Ancilla cum tumore axillari suis muniis vacabat, ephemerâ tantùm laboravit antè eruptionem. (*Diemerbroeck*)

Ergò ex his colligitur pestis caracter.

Prædispositiones. Omnes indiscriminatìm corripit debiles, maximè, pusillanimes, timore, mœrore labefactatos.

Causæ occ. Ignotum contagium à plagis orientalibus oriundum, subtile admodum, æstate calidâ, hieme siccâ, mitescens aut delitescens, per autumnum sæviens ferociùs, è corporibus pestiferorum emanans, eorum transpiratione, respiratione, linteis, vestimentis transmissum, substantiis villosis inhærens, immersione in acetum, iteratis fumigationibus, insolatione, immediato et continuo aeris contactu haud ægrè neutralisandum, facillimè systema lymphaticum permeans, peculiariùs afficiens glandulas, textile cutaneum, raro admodùm viscera.

Symptomata. Triplici manifestatur formâ vel varietate, seu triplici incedit gradu. *Juxtà sagacissimum Desgenettes.*

1.us *gradus.* Pyrexia levis absque delirio, bubones. Facilè, promptè, ferè sanantur omnes.

2.us *gradus.* Pyrexia, delirium, bubones. Remissio delirii et pyrexiæ versùs 5.^{am} diem. Utriusque solutio 7.^{â} die. Sanantur plurimi.

3.us *gradus.* Pyrexia, delirium, ingens, bubones, carbunculi, petechiæ solitarii vel confluentes. Remissio vel mors à 3.^{â} ad 4.^{m} sextamve diem. Symptomata atactarum febrium sed intensiora, rarissimi evadunt.

Ergò datur prima species. Adenonervosa continua simplex.

SECUNDA SPECIES.

Febris adenonervosa complicata.

Complicari potest pro circumstantiis temporum seu constitutionis individuæ cum angiotenicâ febre, gastricâ, adynamicâ, etc.

Ergò datur secunda species febris adenonervosa continua complicata.

Q. An remittens febris adenonervosa ?

An intermittens eadem ?

Genus.

Febris perquàm contagiosa præprimìs in quibusdam anni temporibus, transmissio contagii ab ægrotantium aut objectorum ipsis famulantium contactu, eruptio bubonum, carbunculorum, petechiarum coloris intensi vel luridi et in 3.° gradu atacta symptomata. Ordinis caracter idem ac generis.

Ordo.

Ergò iste ordo continet febres continuas. Deficiunt observata de remittentibus, dubia sunt et rara quæ de intermittentibus. debentur

eæ febres miasmatibus subtilioribus directè transmissis vel ab objectis ægro famulantibus. Sua iis miasmatibus, affinitatis, propagationis, destructionis media peculiaria. In iis solitariè vel coadunatìm apparent bubones, carbunculi, exanthemata, stipanturque symptomatibus atactis. Grassantur epidemicè, citissimè, sævissimè, plurimorum stragem struunt, terrores, horrores, desperationemque in satellitium trahunt.

Corollarium. Ergò si attendatur ad causam, scilicet contagium, ad exanthemata, anthraces, bubones, etc. quæ systematis glandulosi læsiones ostendunt, et ad symptomata nervosa, compertum manet hujus febris causam proximam esse systematis nervosi et glandulosi simultaneam læsionem. Indè nomen adenonervosarum febrium.

Ergò dantur febres adenonervosæ.

Prognosis. Si fiat reactio fortis in miasmata citò sanatur æger sudoribus vel phlegmonibus criticis. Si subitò suspendantur vel procumbant vires subitò labitur æger in stuporis ac insensilitatis quemdam statum et moritur.

Curatio. Tonicis amaris aromaticis, acidis mineralibus, kinate, camphorâ, topicis, epispasticis, vesicantibus, scillæ coctæ cataplasmatibus, frictionibus oleosis, glacialibus.

Classis.

Hactenùs ostensum fuit quomodò à singularibus historiis ad specierum caracteres, ab iis ad genera, à generibus ad ideam ordinis assurgatur, nunc demonstrandum superest quomodò classis idea comparatur. Res in promptu est. Sufficit affinitates ordinum inter se colligere. Sic tractantur omnes historiæ naturalis partes, sic uno contuitu considerantur quæcumque ordinibus communia, sic abstracta quidem sed vera febris idea coalescit et illustratur.

Igitur ex ordine sextuplici exurgit classis febrium essentialium quæ pendent à dispositionibus tùm ætatis tùm sexûs et constitutionis peculiaris, à locis, miasmatibus, statu quodam atmospherico; oriuntur

à causis tùm physicis tùm moralibus; grassantur sporadicè, endemicè, epidemicè, lentè vel acutè, continuo tenore vel periodico, absoluto aut imperfecto accessu, varioque pro intensitate, combinatione, successione, continuatione, reditu; decurrunt regulariter vel inordinatè, felici vel infausto exitu, die ut plurimùm impari sæpiùs septennario. Omnes omnia simul œconomiæ nostræ systemata afficiunt, licet aliæ alias partes peculiariùs afficere videantur; indè denominatio ordinum quæ nullatenùs hypothetica sed in rerum naturâ fundata, ut affatìm demonstravimus.

Corollarium generale.

Ex methodicâ nosographiâ febrium sequitur etiam accurata curandi methodus, circumscribunturque limites medicinam expectantem inter et activam, idque in promptu est, si conferantur tres priores ordines cum tribus posterioribus. In his adest reactio vitalis, libera, regularis; sponte suâ decurrit morbus, fixo atque statuto tempore durat atque solvitur, fausto ut plurimùm exitu; in illis vel nulla vel debilis admodùm reactio vitalis observatur.

Ergò in duas principales sectiones dividi possunt febres primitivæ quarum 1.ª continet febres reactione vitali, liberâ, regulari notabiles; 2.ª continet febres insufficienti, præpeditâ, inordinatâ, interdùm nullâ reactione vitali insignitas.

In primâ satis est, si non obstes medicanti naturæ, si faveas enitenti, si sæviora symptomata lenias, si singulos morbi gradus, singulas phases varietatesque sedulus observator attendas. In secundâ, deficienti aut insufficienti naturæ opituleris oportet, eam excites, stimules, hujus vices suppleas, evagantem reducas, sustineas labantem, omniaque in ordinem ac æquilibrium restituas.

Ergò ex nostrâ classificatione enascuntur ideæ distinctæ, certæ, fixæ; nec dici potest de arte nostrâ eam constare inani medicamentorum apparatu.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

I.

Concocta medicari atque movere, non cruda, neque in principiis, modò non turgeant. Plurima verò non turgent. [Sect. I, aph. 22.]

II.

Lassitudines spontaneæ morbos prænuntiant. [Sec. II, aph. 5.]

III.

Non febricitanti cibi fastidium, oris ventriculi morsus, vertigo tenebricosa, oris amaritudo, purgatione per superna opus esse significat. [Sect. IV, aph. 17.]

IV.

Non febricitantibus si tormina adsint et genuùm gravitas et lumborum dolor, infernâ purgatione opus esse significat. [Sect. IV, aph. 20.]

V.

Tertiana exquisita septennis ad summùm circuitibus, judicatur. [Sect. IV, aph. 59.]